EPHEMERIDES
TVLLIANÆ

RERVM INDE A XVII M. MARTII 49 A. CHR.
VSQVE AD IX M. AVGVSTI 48 A. CHR. GESTARVM

SCRIPSIT AD SVMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS TRADIDIT
AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
PHILOSOPHORVM ORDINI VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE X MENSIS AVGVSTI ANNI MDCCCLXXXVI HORA XI PVBLICE
DEFENDET

IVLIVS ZIEHEN
MŒNOFRANCOFVRTANV

ADVERSARII ERVNT
IVLIVS SCHOENEMANN
CAROLVS FRIEDERICHS
AVGVSTVS BRINKMANN

BUDAPESTINI
TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANÆ
MDCCCLXXXVII

Parentium Manibus

PRÆFATIO.

Rerum inde a 17 Mart. a. 49 usque ad 9 Sext. a. 48 gestarum memoria ut ab omni parte quoad eius fieri potest perspiciatur, duæ quasi partes distinguendæ sunt vicinæ inter se nec non altera cum alterius ratione cohærentes, quarum tamen non eadem sors fuisse videtur in illius temporis memoria indaganda. Res enim armis belloque gestæ ut satis ampla auctorum veterum narratione abunde nobis traditæ sunt, ita adhibita ratione geographica ab huiusce ætatis auctoribus ita exploratæ sunt, ut in hac quidem re — nisi nova adlata materia topographica, velut de Cæsaris et Pompei itineribus post pugnam Dyrrhachinam factis — hominum doctorum operam non nimium desideres.*

Prorsus aliter de altera parte iudicandum est, res dico præter pugnas militiamque gestas; quas ut cognoscamus non multa nobis suppeditat historicorum veterum narratio, qua

* Potissimos ut paucis enumerem, maximam belli civilis partem complexus est Göler, Cæsars gallischer Krieg und Teile seines Bürgerkrieges. Zweite durchgesehene und ergänzte Auflage. Tübingen 1880. T. II. Cui nova addiderunt pro bello Hispaniensi anni 49: nuper R. Schneider, Ilerda. Ein Beitrag zur röm. Kriegsgeschichte. Berolini 1886; de obsidione Massiliensi: Rouby, Le siége de Marseille par Jules César. Spectateur militair. Paris 1876; de rebus in Græcia gestis Heuzey-Daumet, Mission archéologique en Macédoine. Paris 1873. Curionis expeditioni feliciter operam navavit G. Tissot, La province romaine d'Afrique, tom. I. Præter quos Kranerianam Cæsaris editionem ab Hofmanno curatam (Berolini apud Weidmannos) adhibui. Accessit nuper Heuzeyi libellus Observations sur les opérations militaires de Jules César. Paris 1886, cuius mihi usum nondum patuisse valde doleo.

potissimum re videtur factum esse ut iusto magis illæ res adhuc neglectæ sint. Neque tamen nobis deest fons uberrimus, unde præter rerum scriptores si non omnis illius temporis, at magnæ tamen partis satis accuratam hauriamus notitiam, Ciceronis epistulas dico, quarum 32 cum cadant in exiguum paulo plus duorum mensium spatium, facile apparet largam nobis præberi materiam, ut iudicemus de rebus usque ad Ciceronis discessum intra Italiam gestis, quæ ut notatu sunt dignissimæ ita vel maxime aut brevitate aut silentio tractatæ sunt a rerum scriptoribus antiquis. His autem Ciceronis epistulis cum nuper operam dederit Guilelmus Sternkopf, Quæstiones chronologicæ de rebus a Cicerone inde a tradita Cilicia provincia usque ad relictam Italiam gestis deque epistulis intra illud tempus (a. 704 et 705) datis acceptisve. Marburgi 1884 p. 65 sqq. is ad tempora quidem sua plerasque epistulas recte revocavit, ut pauca in hac quidem re addenda habuerim, sed non eo usque consilium persecutus est, ut diligenter interpretatus singulos Ciceronis locos nec non coniciendo alterum cum altero coniungens, qua sola ratione post indagatam rationem chronologicam vera efficitur, ut ita dicam, historica materies, munus expleverit.

Hoc igitur munere quoad eius fieri potest ut post Sternkopfium fungerer itaque narrationi historicæ fundamentum quasi substruerem, huic libello propositum est.

Adieci rerum post Ciceronis discessum anno 49 gestarum rationes chronologicas breviter comprehensas, non quo ephemeridum Tullianarum pro illo tempore haberem materiam, sed ne desit via, qua ad alteram illarum partem nobis propositam transeamus, epistulas dico anno 48 usque ad 9 Sext. conscriptas.

Quæ ut paucæ sunt neque ita inter se cohærent, ut hac ipsa re vel maxime altera altera illustretur, tamen id habent

commodi, quod rerum armis illo tempore in Græcia gestarum ratio chronologica mirum quantum iis confirmatur, quas quia neglexerunt Göler et Kraner-Hofmann valde errasse putandi sunt. Atque vero hic non fieri potest, quin rerum armis gestarum ratio, qualem supra descripsimus, artissime cum Ciceronis epistulis coniungatur.

Totam quæstionem ita institui, ut proposita tabula chronologica iis quæ secuntur adnotationibus rationes, quas in singulis temporibus definiendis secutus sum, comprobare conarer. Ipsorum auctorum locos attuli, si qui ita erant comparati, ut statim inde singularum rerum tempora efficerentur; contra si quæ ratiocinando ab aliis indagata sunt, ad eorum disputationes legentes putavi revocandos esse.

17 Mart. Cic. ad Att. IX 9 [1]
Pompeius Brundisio naves solvit [2]

18 « Cic. ad Att. IX 10 ex Formiano [3]
Cæsar Brundisium oppidum intravit.[4] Crassipes Ciceronem convenit.

19 « Matius et Trebatius Ciceronem convenerunt.[5] Eodem die aut postridie scripta est epistula ad Cæsarem, quæ est ad Att. IX 11 A.[6]

20 « Cic. ad Att. IX 11 ex Formiano, postquam Lentulum Puteolis esse comperit.[7] Eodem die allato nuntio Brundisii circumclusum esse Pompeium data est ep. IX 12.[8]

22 aut 23 Mart. Acceptis a Dolabella litteris Cic. dedit ep. ad Att. IX 13a = §§ 1—7.[9]

24 Mart. Balbi epistula, quæ est ad Att. IX 13A, et Dolabellæ litteræ Ciceroni allatæ sunt; data est ep. ad Att. IX 13b = § 8 sq.[10]

24 aut 25 Mart. Cic. ad Att. IX 14, quibus nuntiatur de Q. Pedii litteris Capua allatis deque Bæbii narratione.[11]

25 Mart. Acceptis (Leptæ?) Capua litteris, Cicero dedit ep. ad Att. IX 15a = §§ 1—5; eodem die allatis Matii et Trebatii litteris scripsit ad Att. IX 15b = § 6.[12]
Cæsar Beneventi mansit.[13]

26 « Cic. ad Att IX 16, cui adnexa est Cæsaris epistula § 2 sq.[14]
Cæsar postquam cum Matio in agro Trebulano collocutus est, Capuæ mansit.[15]

27 Mart. Accepto Trebatii nuntio Matiique epistula Cicero dedit ad Att. IX 17.[16]
Cæsar Sinuessæ mansit.[17]

28 " Cæsar Formiis cum Cicerone collocutus est: dein ipse in Pedanum profectus est, Cicero data ep. ad Att. IX 18 Arpinum iter fecit.[18]

extr. m. Martio Cæsar ad urbem advenit.[19]

1 Apr. Factus est senatus Romæ ante pomœrium, convocatus a M. Antonio et L. Cassio Longino tribunis plebis.[20]

1 aut 2 Apr. Cic. ad Att. IX 19.[21]

3 Apr. Cic. ad Att. X 1.[22]

6 " Cic. ad Att. X 2.[23]

7 " Cic. ad Att. X 3a et 3b, quarum altera scripta est allatis Cæsaris litteris, quibus Ciceroni ille ignovit, quod in senatum non venisset.[24]

6 aut 7 Apr. Cæsar Roma profectus est.[25]

13 Apr. C. Scribonius Curio vesperi in agrum Cumanum venit.[26]

14 " In Cumano Cicero scripsit ep. ad Att. X 4 §§ 1—7; Curio villam eius præteriit, Puteolis concionatus est, revertit, cum Cicerone collocutus est. Post colloquium Cicero adiunxit §§ 8 sqq.[27]

16 " Cic. ad Att. X 5 ex Cumano.[28]
Cæsar ex itinere dedit ep. ad Ciceronem, quæ est ad Att. X 8B.[29]

Eodem, ut videtur, tempore M. Cælius Rufus dedit ep. ad Ciceronem, quæ est ad Att. X 9A = ad fam. VIII 16.[30]

c. 19 Apr. Cæsar ad Massiliam advenit.[31]

23 « Cato profectus Syracusis e Sicilia discessit.[32]

16—22 Apr. Cic. ad Att. X 6 ex Cumano.[33]

22 Apr. Cic. ad fam. IV 1 ex Cumano Romam misit per Philotimum. Aut simul aut paulo certe post data est ep. ad Att. X 7.[33]

28 (aut postea) Acceptis Servii litteris Cic. ex Cumano dedit ep. ad fam. IV 2.[33]

Eodem fere tempore data est ep. ad L. Mescinium Rufum quæ est ad fam. V 19.[34]

28 Apr. aut sqq. Significatio contra Cæsarianos in theatro facta est a populo ludis Floralibus.[35]

2 Mai. Acceptis Antonii epistula A et Cæsaris illa B Cic. dedit ep. ad Att. X 8.[36] Eodem die Cælii epistula X 9A videtur allata esse.[37]

3 « Data est ep. ad Att. X 9; conscripta ep. ad Att. X 10.[38]

Vesperi Antonius Misenum in agrum Cumanum venit.[39]

4 « Cic. ad Att. X 11 ex Cumano.[40]

Trebatius Ciceronem convenit.[41] Paulo post ep. ad fam. II 16 videtur data esse.[42]

Cic. ad Att. X 12a ex Cumano.[43]

6 « Cic. ad Att. X 12b ex Cumano.[44]

7 « Cic. ad Att. X 13 ex Cumano.[45] Serv. Sulpicius Literni apud C. Marcellum mansit. Antonius in Aenariam transiit.[45]

8 « Cic. ad Att. X 14 ex Cumano.[46] Servius Sulpicius Ciceronem convenit.[46]

10 « Antonius Capuam profectus est.[47]

12 « Cicero data ep. ad Att. X 15 in Pompeianum excurrit, vesperi advenit Mariumque et Ninnium invenit.[48]

13 « Cicero profectus ante lucem Cumas revertit.[49]

14 « Cic. ad Att. X 16 ex Cumano; Hortensius Ciceronem convenit.[50] Rumor erat Cottam tenere Sardiniam.[50]

16 « Cic. ad Att. X 17 ex Cumano.[51]

19 « Cic. ad Att. X 18. Paulo post Formias videtur profectus esse.[52]

c. 1 Jun. Cæsar a Massilia profectus est.[53]

7 « Cicero postquam navem conscendit in portu Caietano scripsit ep. ad fam. XIV 7.[54]

23 « Cæsar ad Ilerdam advenit.[55]

27 Jun. Apud Ilerdam de colle, qui prope oppidum erat, pugnatum est (Cæs. I 43—47).[56]

29 « Tempestas coorta est, qua in summum discrimen deducti sunt Cæsariani.[57]

c. 1 Quint. Prior pugna navalis apud Massiliam commissa est.[58]

25 « Afraniani ab Ilerda sese recipere cœperunt.[59]

2 Sext. Afraniani in deditionem venerunt.[60]

ineunte m. Sext. Altera pugna navalis apud Massiliam commissa est.[61]

c. 22 Sext. Curio in Africa ad Bagradam a Juba Numidiæ rege victus est.[62]

Eodem fere tempore duces Cæsariani C. Antonius et P. Cornelius Dolabella, in Illyria victi sunt.[63]
Lex de dictatura Cæsaris Romæ accepta est.[64]
Massilienses urbem Cæsari tradiderunt.[65]

extr. m. Sept. Seditio Placentina a Cæsare sedata est.[66]

ineunte m. Oct. Cæsar Romam revertit.[67]

c. 10 Decembr. Cæsar Roma profectus est.[68]

A 706=48 a. Chr.

4 Jan. Cæsar Brundisio naves solvit.[69]

5 « Cæsar ad Palæsten adpulit.[70]

Castra ad Apsum habere utrique cœperunt.[71]

extr. m. Jan. Cælius dedit ep. ad fam. VIII 17.[72]

paulo post 4 Febr. Cic. ad Att. XI 2.[73]

extr m. Febr. Antonius in Græciam transiit.[74]

incunte m Martio Pompeius apud Dyrrhachium obsideri coeptus est.[74]

Eodem fere tempore Cn. Pompeius filius Oricum deinde Lissum oppida aggressus est.[75]

2 Jun. Cic. ad fam. XIV 8.[76]

Post 2 Jun. videtur data esse Dolabellæ epistula ad fam. IX 9.[77]

13 « Cic. ad Att. XI 3.[78]

Cæsar apud Dyrrhachium victus est.[79]

15 Quint. Cic. ad fam. XIV 6.[79] Eodem tempore data est ep. ad Att. XI 4.[79]

9 Sext. Pugna apud Pharsalum commissa est [80]

ADNOTATIONES.

[1] cf. IX 9 extr. «data liberalibus» (Ovid. Fast. III 713 sqq).

[2] cf. IX 15 6, Drumann. Hist. Rom. III p. 440 adn. 1.

[3] cf. IX 10, 1, unde postridie quam IX 9 hanc epistulam* scriptam esse apparet.

[4] cf. IX 15, 6.

[5] cf. IX 11, 2: «Quinquatribus»; mirum est de Trebatio nihil dicere Ciceronem, de quo antea cum Attico egerat (cf. IX 9, 4) quemque una cum Matio iter fecisse compluribus locis comprobatur cf. IX 12, 1; 15, 6. Accedit quod in epistulæ ad Matium a. 44 scriptæ ad fam. XI 27 § 3, ubi huius colloquii mentionem inicit, Cicero Trebatium sermonibus interfuisse scribit. Matii sermonum quasi fragmentum exstat ad Att. IX 13, 4.

[6] v. Sternkopfium p. 65 adn. 121; ceterum veri simile est

* Dubia lectio est in huius epistolæ § 6, ubi locum ex Attici quadam epistula Cicero affert: «Quod quæris a me *fugamne* fidam an moram defendam utiliorem putem, ego vero eqs.» Non afferam hominum doctorum coniecturas quibus «fidam» et «defendam» verbis adiectiva substituere conati sunt; præstat nisi fallor alia sanandi ratione uti: videntur enim verba «utiliorem putem» adscripta olim esse ad «defendam», cuius vocis significationem patefacerent, deinde falso in textum inrepsisse; his autem verbis remotis addita una mutatione admodum facili totus locus optime videtur legi posse sic: «quod quæris a me *fugane* fidam an moram defendam (utiliorem putem), ego vero eqs.»

post Matii demum colloquium Ciceronem epistulam ad Cæsarem scripsisse Matiique in ea re consilio usum esse.

[7] *v.* Sternk. adn. 122. De Lentulo — est autem P. Cornelius Lentulus Spinther — cf. IX 11, 1.

[8] cf. IX 12, 1. Falsum illum de Pompeio circumcluso nuntium et Lepta misit, qui Capuæ tum versabatur, et Matius Trebatiusque quibus Minturnis obvii fuerant Cæsaris tabellarii; absunt Minturnæ a Formiis c. 8 mp. itinere, ut qui pridie a Cicerone profecti sunt eorum iam tum nuntium Minturnis Ciceroni adlatum esse non sit mirum.

[9] *v.* Sternk. p. 66 adn. 124.

[10] cf. IX 14, 1.

[11] cf. IX 14, 2 extr.; 3.

[12] Non unam esse epistulam ad Att. IX 15 qualis est in editionibus, quisquis initia §§ 1 et 6 diligenter inter se comparaverit intelliget; nam Sternkopfii (adn. 126) quidem ratio, qui in § 6 de epistula ad Att. IX 14 agi suspicatur, nullo modo potest constare: ad hanc enim epistulam spectant quæ initio ep. 15 Cicero scribit; restat ut ad primas ipsius epistulæ 15 paragraphos referenda sint quæ § 6 ille dicit; iam quia illas non modo «scripsisse» vel «obsignasse» (cf. ad Att. XVI 15, 4), sed iam «dedisse» sese affirmat, sequitur novæ epistulæ initium a § 6 nobis faciendum esse.

Hæc si recte video data est ep. ad Att. IX 15a = §§ 1—5 25 Mart., quod apparet e Ciceronis verbis IX 15b init. = § 6; commotus autem est ad hanc epistulam scribendam litteris Capua allatis, de quibus quid statuendum sit paucis videamus; atque primum loco satis difficili IX 15, 1 init. nescio an non opus sit graviore mutatione, qualis est Madvigii illa satis ingeniosa, quam protulit Advers. crit. III p. 184: «et hic <copiam> mihi et in Albano fore»; equidem ita fere locum legendum et explicandum esse censeo: «Quum dedissem ad

te litteras, ut-fore, allatæ mihi Capua sunt (scil. «alteræ litteræ»; nec deerunt fortasse, qui «alteræ» vocem post «allatæ» excidisse in codicibus concedant), et hoc mihi (scil. «nuntiantes») et in Albano apud Curionem <eum> V Kal. fore; eum quum videro, Arpinum pergam». Jam mira sunt verba quæ secuntur: «Ille (scil. Cæsar, de quo superiore sententia dixerat), ut ad me scripsit, legiones singulas posuit Brundisii, Tarenti, Siponti». Itaque Cæsaris quoque aliqua epistula Ciceroni allata est eo tempore? At hæc quominus statuamus plus una re impedimur: primum enim mirum est, tam paucis verbis Ciceronem de illa dicere; deinde vix veri simile est, de re militari Cæsarem illi scripsisse, non tetigisse eam rem, de qua toto illo tempore agebatur inter illos, Cicero ut Romam veniret in senatum Cæsaris; accedit quod, si quidem diligenter comparas Cæsaris epistulas, quas Cicero tum accepit, quæ sunt ad Att. IX 6 A et 16 A, vix locum esse inter eas epistulæ tertiæ invenies. Quodsi hoc concedis, post verba «ut mihi scripsit» nomen eius qui scripsit excidisse statuendum est; atqui Capua missas esse has litteras easdemque esse atque illas de quibus initio epistulæ 15 Cicero dixerat, admodum est probabile. Capua autem paulo ante et Q. Pedius nuntium miserat Ciceroni (cf. IX 14, 1) et Leptam inde scripsisse constat (cf. IX 12, 1; 14, 3); horum igitur alterutrius nomen post «scripsit» vocem excidisse scribarum negligentia suspicor, et quia non nullius fortasse momenti fuit simile vocis «legiones» quod sequitur initium, de Lepta maxime cogitandum esse puto.

Nil certi constat de T. Rebilo, cuius in § 4 Cicero mentionem iniecisse videtur; nisi forte e tradita lectione «Trebilium» C. Caninii Rebili nomen eliciendum est, ut de Cæsaris legato (cf. bell. Gall. VII 83; 90) cogitandum sit; hunc enim paucis diebus ante Brundisii ad Libonem Cæsar pacis

conciliandæ causa miserat (cf. bell. civ. I 26, 3);* idem postea cum Curione fuit in Africa (cf. ibid. II 24, 2).

Tertia ut videtur post epistulas 14 et 15a eodem die data est ep. ad Att. IX 15b=§ 6; quod inde apparet quod initio ep. 16 Cicero scribit, quæ postridie data est, se nullum diem velle intermittere; quod non scripsisset, si eodem die iam dedisset epistulam.

13 cf. ad Att. IX 15, 6 extr.

14 cf. IX 16, 1 «ne quem diem intermitterem»; dubia vis est argumenti e futuri forma «mansurum» a Sternkopfio adn. 129 petiti; futuri enim illius utpote a «nuntiabant» pendentis alia ratio est. De tempore, quo Cæsaris epistula data est, nil certi potest proferri: non exstant Ciceronis litteræ quibus Cæsaris clementiam Corfiniensem laudaverat quasque IX 11 A 3 quoque videtur significare. Ceterum *v.* Sternk. adn. 129.

15 cf. IX 14, 3; 15, 1; 6 C. Matium obviam isse Cæsari in agro Trebulano, Cicero recordatur a. 44, quo data est ep. ad. fam. XI 27 (cf. § 3); de Trebula oppido inter Beneventum et Teanum oppida sito *v.* CJL. X p. 442.

16 cf. IX 17, 1; Matii litteræ, quas exspectare se dicit, eæ sunt quarum meminit ad fam. XI 27, 3.

17 cf. IX 15, 6; 16, 1.

18 *v.* Sternk. adn. 133 sq., qui tamen minus recte nisi fallor Arpino postridie demum Ciceronis epistulam IX 18 datam esse suspicatur; primum enim Cicero pollicitus erat se statim peracto colloquio nuntium amico missurum esse (cf. IX 15, 3; 4); deinde si Arpinum iam venisset num «inde» vocem

* Ad T. Rebilum aliunde ignotum quominus cum Bootio ad Cic. ad Att. IX 15, 4 (M. Tullii Ciceronis epistulæ ad Atticum rec. ill. I. C. G. Boot. Ed. alt. Amstelodami 1886) hunc Cæsaris locum referamus, obstat «legati» vox adiecta a Cæsare.

§ 2 adhibiturus fuerit dubito;* quare veri similius videtur esse, aut ante profectionem Formiis etiam datam esse epistulam aut — si cui durior videtur ellipsis: «ipse in Pedanum (scil. profectus est), ego Arpinum (scil. proficiscar) — in itinere scripsisse Ciceronem priusquam Arpinum venit.

19 *v.* Sternk. adn. 136. Nescimus quid in Pedano quo Formiis eum profectum esse Cicero scribit ad Att. IX 18, 3, Cæsar egerit; prædium videtur idem esse ac Lavicanum illud, in quo Cæsarem testamentum fecisse auctor est Suetonius d. Jul. 83, cuius reliquias nuper indagavit Rosa prope vicum, qui S. Cesario hodie vocatur; *v.* Desjardinsium in ed. tab. Peuting. p. 183 sq.; de Pedo oppido cf. Bormannum, Altlatin. Chorographie p. 197 sq.

20 *v.* Sternk. adn. 136; usitatum senatui habendo diem Kalendas fuisse constat (cf. PRE VI p. 1006).

Triduum disputationibus excusationibusque de legatis ad Pompeium mittendis extractum esse ipse Cæsar narrat bell. civ. I 33, 3.

21 *v.* Sternk. adn. 137; memoratu digna sunt quæ in huius epistulæ § 1 Cicero in itinere Formiis Arpinum usque sese vidisse narrat: mæstos et afflictos fuisse municipes; delectus haberi, in hiberna milites deduci.

22 cf. X 1, 1.

23 Non recte 5 aut 6 Apr. posuit Sternkopf adn. 139; cf. § 1 («postridie»), unde 6 Apr. epistulam datam esse fit veri simile; iam quod 7 Apr. Cicero scribit ad Att. X 4, 1, se «pridie sua manu longiorem epistulam dedisse», quæ verba Sternkopf neglexit, non accipienda est Manutii coniunctura, qui de prima libri X epistula sermonem esse iudicavit, immo

* Boot quoque ad l. l. voce «inde» offendit neque tamen de Arpino dubitavit, sed «avide» pro «inde» scribendum esse suspicatus est.

epistulam, de qua Cicero scribit, ætatem non tulisse veri simile est.

Δαλαγεῦσαν, de qua Cicero dicit in epistulæ 2 § 1, non habeo quomodo expediam; sed hoc mihi videtur monendum esse contra Bootium, eodem vocabulo, quo hic, de eadem re Cicero locutum esse in ep. ad Att. IX 18, 3; quod et ea re comprobatur, quod quam paucis diebus ante Arpini se exspectaturum esse dixerat ea res hic vix potest non intellegi, ubi de re, quæ Arpinum advenerit quasi nota loquitur Cicero; nec non litteræ quæ exstant in codicibus priore loco prope ad vocis *Δαλαγεῦσα* litteras accedunt.

24 cf. X 36, 1; de Cæsaris litteris ibid. § 2.

25 *v.* Sternk. adn. 140; adde Cæs. bell. civ. I 33, 4 «diebus aliquot». Rectius Sternkopf res a Q. Cicerone filio Romæ apud Hirtium et Cæsarem gestas ante 7 Apr. posuisset, quem ipse terminum sibi muniverat.

26 cf. X 4, 7.

27 cf. X 4, 7 et 8. Absunt Puteoli a Cumis 6 mp. itinere (cf. Tab. Peut. ed. Desjardins p. 221), ita ut uno die has omnes res peractas esse non sit cur miremur.

28 cf. X 5, 3 extr.

29 cf. X 8B, 2 extr.

30 cf. Sternk. adn. 147.

31 Cæsar quando ad Massiliam advenerit, duabus rationibus potest indagari. Primum enim epistula 16 Apr. ex itinere a Cæsare data 2 demum Mai. Ciceroni allata est; unde apparet, illum, cum hanc epistulam scripserit, procul iam a Roma Cumisque afuisse (*v.* Gölerum l. l. p. 26). Atque vero illo die eum apud Intemelios versatum esse certum fit coll. ad fam. VIII 15, 2 ubi Cœlius ad Intemelios se missum esse narrat, et ad fam. VIII 16, 4, quo Cæsarem se vidisse scribit;

nullo enim alio loco hoc potest factum esse.* Quodsi illo iam die apud Intemelios Cæsar advenerat, non est dubium, quin tertio aut quarto die post ad Massiliam advenerit. Nec mirabitur iter c. 746 mp., quantum erat Roma Massiliam usque (cf. Tab. Peut. ed. Desjardins p. 109; 116. It. Ant. p. 288; 294 sqq.) tantulo tempore eum perfecisse, si quis memor erit Cæsarinæ celeritatis, de qua cf. ad Att XVI 10. Suet. Cæs. 57; maximeque Plutarchum Cæs. 17.

32 cf. ad Att. X 16, 3.

33 Minus recte de epp. ad Att. X 6 et 7, ad fam. IV 1 et 2 Sternkopf adn. 148, 150, 152 exposuit, de quibus accuratius statuere licet; proficiscendum est a loco ep. ad fam. IV 2, 1, ubi Cicero narrat se 28 Apr. per Philotimum accepisse Servii litteras; vix potest dubitari quin his litteris Servius reponderit ad Ciceronis epistulam eam, quam per eundem Philotimum Servio sese misisse Cicero narrat ad Att. X 7, 2. Quæ si recte statuo non post 22 Apr. Philotimus a Cicerone cum litteris ad Servium profectus esse putandus est: Servius enim Romæ tum versabatur (cf. ad fam. IV 1) eratque inde Cumas usque (cf. Tab. Peuting. ed. Desjardins p. 216; 219 sqq.) c. 140 mp. iter, quod ut bis perficeret addita eius temporis, quod Romæ versabatur, mora tabellarius non minus sex dies consumpsisse putandus est.

Habemus iam terminum ante quem necesse est scripta sit ep. ad Att. X 6, quippe in qua de Servio nondum mentionem iniciat Cicero; scripta autem est post 16 Apr., quo die ep. ad Att. X 5 ille dedit.

Deinde 22. Apr. aut si accuratius rem definias non post 22 Apr., acceptis Trebatii litteris quibus de Servii voluntate certior factus est, Cicero dedit epistulam ad fam. IV 1;

* Cuius rei benigne Nissen me monuit.

paulo postquam hanc dederat,* attamen ante 28 Apr., quo die Servii responsum accepit, epistulam dedit ad Att. X 7, quippe qua de misso ad Servium Philotimo narret, nildum de illius responso habeat cognitum. Hoc 28 Apr. allatum est.

Restat ep. ad fam. IV 2, quam ante 3 Mai. datam esse Sternkopf coniecit coll. § 1 cum ad Att. X 9, 3; sed nescio an accuratiorem etiam terminum statuere possimus si reputamus, vix futurum fuisse ut tam confidenter de Nonis Servii adventus tempore scriberet, nisi iam aliquod responsum eius ad Ciceronis epistulam IV 2 missum accepisset; quod si recte video, 1 Mai. Servius respondit ad Ciceronis litteras 28 Apr. missas.

Addere liceat locum ep. ad Att. X 6, 1 male traditum in codd. fortasse sic restituendum esse: «fiat in Hispania quidlibet; tamen rem cito (scil. «sciemus»; ellipsis non videtur dura esse, si quidem Ciceronis in epistulis usum respicias) et meas cogitationes etc.» cf. ad Att. VII 12, 3; 23, 3; IX 3, 2.

34 *v.* Sternk. adn. 153.

35 6 Mai. Cicero scribit ad Atticum X 12b, 2: «Odium recte animadvertis significatum <in> theatro». Vides de ludis scænicis nobis quærendum esse qui eo fere anni tempore Romæ agi sint soliti; iam nisi forte quis de ludis Megalensibus mavult cogitare, satis longo temporis spatio a 6 Mai. remotis, quippe qui 4—10 Apr. acti sint (*v.* Marquardtii Ant. Rom. VI p. 480), uni restant ludi Florales optime de quibus cogitemus idonei, quia paulo ante 6 Mai. facti sunt, a 28 Apr. usque ad 3 Mai. quorum dierum primi ludis scænicis vacabant cf. Marquardt. l. l. p. 481.

* Nisi eodem die, quo Philotimus litteras tulit ad Servium, data est; quod idcirco conicio quia ad ipsum Philotimum de privato negotio Cicero Atticum ablegat in huius epistulæ § 3.

Plebem urbanam infesto in Cæsarem fuisse animo plus uno Ciceronis epistularum loco comprobatur cf. ad Att. X 8, 6; 7, 3; 4, 8; nec mirum est, in Pompei theatro, (de quo *v.* Beckerum Ant. Rom. I p. 675 sqq.) etiam magis exarsisse illud odium. Ceterum addendus est hic locus disputationi, quam de significationibus in theatro factis instituit Friedländer Mor. Rom. hist. II 5 p. 265 sqq. 431 sqq.*

36 cf. X 8, 10. De Calpurnio cf. Aem. Schelle, De M. Antonii triumviri quæ supersunt epistulis. Frankenb. 1883 p. 7.

Quas initio epistulæ (§ 3) a Cæsaris amicis sese accepisse commemorat epistulas, de his certius nil videtur statui posse. Liceat autem hoc loco Oppi epistulæ cuiusdam, cuius et ipsius quoque tempus parum constat, mentionem inicere, de qua postea Cicero Oppium admonuit ad fam. XI 29, 1; ea certe post Pompei discessum videtur data esse («initio *belli* civilis» «eundumne ad Pompeium an manendum in Italia»).

37 *v.* Sternk. adn. 147.

38 cf. Sternk. a. 157. De ep. X 10 cf. § 3: «V Nonas i. e. hodie» — datam autem esse eam postridie demum, Cicero narrat X 11, 1. Ceterum non recte mihi quidem facere videntur ii, qui «sæpissime» voce qua ep. 10, 1 Cicero utitur, offendunt, Madvig, Boot, Schelle l. l.; qui neglexerunt ἐμφατικῶς totum locum a Cicerone irato conscriptum esse, ut non liceat aurificis statera singula verba examinare. Accedit, quod in una epistula plus semel et denuo semper Ciceronem de voluntate sua verba fecisse verisimile est.

39 Profectus a tribus Ciceronis ad Att. locis X 8, 10; 10, 3;

* Accedit alter locus e Ciceronis ep. ad Att. XV 3, 2, recte, ut mihi quidem videtur, a Bootio explicatus: XIV ordinum equites in theatro animum suum in rem publicam significasse.

11,4 Sternkopf statuit, 2 Mai. Antonium Misenum, postridie in agrum Cumanum venisse. Quem quominus sequamur, obstat, nisi fallor, ratio topographica; terra enim ad Miseni promontorium sita liberæ rei publicæ Romanæ temporibus ad agrum Cumanum pertinebat mansitque donec colonia ab Augusto illuc deducta est; cf. Belochium Campan. p. 190. Vides alia ratione Ciceronis locos nobis expediendos esse hace: Antonius ad Misenum 2 Mai. venturus dicebatur (cf. X 8, 10), sed diutius in itinere sese sustinuit, ut illo die iter non perficeret; mutato igitur consilio 3 Mai. ad Misenum venturus erat (cf. X 10, 3) nec non consecutus est, quod sibi proposuerat (cf. X 11,4); de villa Antonii, X 13,1 a Cicerone commemorata, *v.* Belochium p. 190; 199.

40 cf. X 11,4 cum X 10, 3.

41 cf. X. 11,4.

42 Recte Sternkopf adn. 159 statuit, Ciceronem hac epistula respondere ad Cælii illam ad fam. VIII 16, 2 Mai. Ciceroni allatam, unde post 2 Mai. epistulam scriptam esse concludit; sed nescio an accuratius etiam terminum, post quem data est, possimus definire. Proficiscendum est a loco ep. ad Att. X 11,4, quem totum liceat exscribere: «O rem undique miseram! Trebatius erat mecum, vir plane et civis bonus. Quæ ille monstra di immortales! etiamne Balbus in senatum venire cogitat?» Apparet Balbi mentionem suscitatam esse Ciceroni allato quodam a Trebatio nuntio quo aliquem e Cæsarianis in senatum lectum iri certior factus est. Jam si quæras quis potissimum e Cæsarianis Balbi mentionem suscitet, quasi sponte sese offert Oppius, tantum non semper cum Balbo

* Ad Cæsaris verba X 8 B 1 extr. non possum quin afferam locum e Ciceronis oratione p. Ligar. 9, 27, quo unum e Cæsaris argumentis in suum quasi usum vertit; quod nescio an non sine Cæsaris epistulæ recordatione fecerit.

coniunctus apud Ciceronem.* Quæ cum ita sint peropportune accidit, quod in ep. ad fam. II 16, 7 hæc verba legimus: «Togam prætextam texi Oppio puto te audisse; nam Curtius noster dibaphum cogitat, sed eum infector moratur». Vides quam sit veri simile, ne dicam certum, eodem illo Trebatii nuntio, quo ad verba illa Attico scribenda commotus sit, Ciceronem usum esse cum ad Cælium de Oppio scripserit, unde sequitur post Trebatii colloquium i. e. post 4 Mai. datam esse ep. ad fam. II 16.

43 *v.* Sternk. 161. De C. Marcello cf. X 12a, 3 cum Bootii adnot.

44 *v.* Sternk. adn. 162. Ceterum in huius epistulæ § 2 Cicero Cælii cuiusdam mentionem facit, de quo vix facere possumus quin paulo fusius disseramus, ut quænam fuerint eo tempore Ciceronis consilia recte intelligamus.

Quinque enim loci sunt, quibus de hoc Cælio Cicero loquitur: ad Att. X 12b, 2 init.; ibid. 2 extr.; 14, 3 extr.; 15, 2; 16, 4. Quodsi ab opinionibus, quæ adhuc ab hominibus doctis prolatæ sunt, proficiscimur, primus sese obfert C. Cælius Caldus, de quo vide Drumannum II p. 409 sqq., avus eius quem Cicero provincia decedens quæstorem proposuerat provinciæ, (cf. ad fam. II 15, 4; *v.* CJL. I no. 479. Ephem. epigr. IV 253; Babelon, Monnaies rom. I p. 367 sqq.).

Sed quænam, inquis, huius Cælii fortuna a Cicerone significatur? Respondere iam olim conatus est Corradius ad Cic. ad. Att. X 12b, 2, quem nuper Boot ad l. l. defendit, allato Plutarchi loco Pomp. c. 7, «qui narrat Sullano tempore

* Teste utar glossematis auctore, quod invenitur in ep. ad Att. XIII 19, 2 ubi si recte sese haberent verba «et Oppius» post Balbi nomen adiecta, aut «scripserunt» plurali usus esset Cicero, quod recte vidit Boot ad l. l., aut ipse quasi per iocum quasi unum hominem hos duo viros significasse putandus esset.

adversus Pompeium tres duces surrexisse, Carinnam, Cælium, Brutum; sed rem male cecidisse?». Sed non tam facilis res est, qualem Boot sibi finxit; Plutarchi enim quem attulit loco non Cælii nomen est in Codicibus, sed *Κλοίλιος* ille dux appellatur, quod nomen et Sintenis retinuit in editione Teubneriana Lips. 1874. et Mommsen recepit in Hist. Rom. vol. II. p. 321 ed. sext. Equidem de Clœlio recte dubitari censeo: primum enim nemo Clœlius, illo tempore qui vixerit, notus est, ad quem Plutarchi locum referamus, deinde gens Clœliorum tum omnino e rerum gestarum Romanarum memoria videtur evanuisse (v. P. Willemsium, Le sénat de la république romaine in registr. p. 64). Contra C. Cælium Caldum maxime idoneum esse, quem facillima mutatione pro Clœlio in textum recipiamus, et reliqua, quæ de eo tradita sunt, optime cum tali eius facinore convenire nemo negabit; quare Drumanno assentiendum esse arbitror, ad hunc virum Plutarchi locum referenti, quod item fecit Neumann in historia Romana a Gotheinio edita (p. 577).

Vides coniectura si non certa attamen satis probabili aliquam Cælii fortunam repertam esse, qualem supra desideravimus. Sequitur ut quæramus num omnino cum Cælio illo et tali eius facinore Cicero se ipsum et consilia sua potuerit comparare. Cui sententiæ statim obstare videtur, quod populares partes contra Pompeium et Sullam defendit Cælius, Cicero optimatium et Pompei partes secutus est. Hanc difficultatem ut solvamus una qualiscunque via sese nobis offert hæce: frequens enim tunc apud Ciceronem erat Sullanorum temporum recordatio, nec tamen ea, ut iisdem semper rebus et hominibus inter se comparandis sibi ipse constaret. Sullæ enim similem esse et Sullanum regnum adfectare non Pompeium modo affirmat (cf. ad Att. IX 7, 3; 10, 2; 6; 11, 3), sed sæpius etiam Cæsarem, quia illius victo-

ria fore videbatur, cum Sulla comparat, neglecto partium a quibus profecti sunt discrimine, unam regni cupidinem quæque cum illa cohærent in comparationem vocans cf. ad Att. VII 7, 7; VIII 11, 2; IX 10, 3; 15, 2; XI 21, 3; ad. fam. XIII 8, 2; Philipp. 5, 6, 17. de off. I 14, 43; II 8, 27.

Jam si hæc spectamus apparet non tam ineptam esse Cælii comparationem, quam primo obtutu visa est; ei enim qui contra Pompeium, Sullæ asseclam, liberæ quasi rei publicæ defensor exortus est, Cicero se ipsum comparat contra Cæsarem, alterum Sullam quem putabat, arma capturum. Accedit quod vitæ quædam similitudo inter Ciceronem et Cælium intercedebat, quia hic quoque homo novus ad summos honores contenderat (cf. Verr. Accusat. 5, 70, 181) et dicendo operam dederat (cf. de Orat. 1, 25, 117).

Ac de Caldo quidem vides qua ratione interpretandi nobis utendum esset; quam minime esse simplicem longisque ambagibus egere non potest negari, ut vix in ea sit acquiescendum. Videamus igitur ceteros Cælios Ciceronis æquales; in quibus unus invenitur, de quo possit cogitari M. Cælius Rufus orator, Ciceronis familiaris, de cuius vita post Drumannum videas quæ disputavit Wegehaupt, M. Cælius Rufus, huius tamen rei prorsus immemor.

Constat autem inde ab exorta civili dissensione eas partes Cælii fuisse, ut una cum tribunis ad Cæsarem profugerit; a quo paulo post ad seditionem apud Intemelios sedandam dimissus indeque cum eodem in Hispaniam profectus est *v.* adn. 34 et ad fam. VIII 17, 1. Sequitur temporis spatium, quo quid egerit ignoramus, usque ad anni 48 initium, quo prætura inita seditionem Romæ movit; v. infra adn. 72.

Jam si hunc Cælium Cicero significat, quærendum est, quomodo intellegenda sint verba eius ad Att. X 12b, 2 extr.:

«efficiendum aliquid est, fortuna velim meliore, animo Cæliano». De qua re, quæ ipse dubitans protulit Orelli Onomast. Tull. p. 111, significari Cælii «desperationem, quæ eum anno sequente abripuit ad turbandam rempublicam», hæc non puto accipiet, quisquis Cælii epistulas illo tempore ad Ciceronem datas perlegerit quæque ad seditionem illum commoverint consentientibus Cæsari et Dioni Cassio crediderit.

Est tamen altera interpretandi ratio, quam ut inire conarer benigna Nisseni cohortatione factum est. Cælius enim, ut a Cæsaris parte tum eum stetisse negari non potest, ita aliquatenus tamen consentiente Cicerone ad illum se contulisse videtur; quod ipse significat in ep. ad. fam. VIII 17, 1: «dum mihi pacis mandata das ad Cæsarem«.

Quibus verbis comprobatur Cælium auctore Cicerone operam dedisse ut concordiæ pactionisque inter Cæsarem et senatum nec non Pompeium auctor fieret. Jam si hoc frustra illum conatum esse reputes, probabilis fit coniectura, novum felicioremque conatum a Cicerone significari dubiis illis, de quibus agitur, verbis, cuius rei optime respondent rationi ea quæ antecedunt Ciceronis verba. Tertium tum quod vocatur comparationis esset, quod paciscendi causa uterque profectionem fecerit Cælius mense Januario ad Cæsarem, mense Maio ad Pompeium facturus erat Cicero. Quod inde ab initio Ciceronis consilium fuisse sat multis epistularum locis constat (v. Nissenum in Sybelii ann. hist. nov. ser. vol. X p. 86 adn. 1), nec non tum quoque et multo etiam postea mirum quantum animo eius inhaesisse comprobatur locis ipsius ad Att. XI 19, 1; IX 10, 3; 11, 2; X 1, 4; 3, 1; 15, 3 cf. et Plutarch. Cic. 38: *Κάτων αὐτὸν ἰδὼν, ἰδίᾳ πολλὰ κατεμέμφετο Πομπηΐῳ προσθέμενον· αὐτῷ μὲν γὰρ οὐχὶ κτλ. . . .‘ ἐκεῖνον δὲ χρησιμώτερον ὄντα*

τῇ πατρίδι καὶ τοῖς φίλοις εἰ μένων ἴσος ἐκεῖ πρὸς τὸ ἀποβαῖνον ἡρμόζετο, κατ' οὐδένα λογισμὸν . . . πολέμιον γεγονέναι Καισαρι.

Restat tertia ratio, quam, si quidem in re tam dubia tamque difficili iudicium ferre licet, mihi verisimillinam esse fateor. Loco enim Ciceronis ep. ad Att. X 15, 2 iis verbis quæ Cæliani significationem secuntur videtur innui militare quoddam Ciceronis consilium, quo copias cogere cumque iis aut palam aut clam ad Pompeium proficisci in animo habuerit. Quodsi tale quid sub Cæliano illo latere ex illo loco concludas, locum illum alterum, quo de «fortuna meliore, animo Cæliano» Cicero loquitur ita interpreteris necesse est ut «Cæliano» adiectivi vim non esse possessivam statuas, immo «fortunam et animum a Cælio significatum» intellegas, quod a ratione grammatica non videtur abhorrere, præsertim cum respicias, rem nobis esse cum epistulis laxioris stili notis mirum quantum repletis. Locus autem Cælii, quo hæc significentur, putandus est qui invenitur in ep. ad Ciceronem ad Att. X 9 A = ad fam. VIII 16 § 2, ubi de Ciceronis quæ fortasse iniret consiliis «contra victorem Cæsarem faciendi» et «ad fugatos accedendi» quæque inde ad conturbandam Ciceronis fortunam possent sequi Cælius exponit. Vides huic loco et «animum et fortunam Cælianum» subesse posse, nec non optime cum hac interpretatione concinere, quæ ad Att. X 16, 4 Cicero scribit: «cogitavi eadem illa Cæliana quæ legi in epistula tua . . . . et fieri poterat ut tentaremur»: duas res sese timuisse dicit, e quibus altera sunt insidiæ a Cæsarianis ad animum eius ut suspicatur tentandum factæ, altera nimirum fortuna illa a Cælio copiose descripta, cuius Atticus quoque perlecta Cælii epistula notitiam habebat.

Jam vero omnes rationes me protulisse puto quæ quidem ad Cælianum interpretandum aut excogitatæ sunt aut novæ

potuerunt tentari;* e quibus qualemcunque accipies, certe tria Ciceronis consilia distinguenda sunt, inter quæ diu illum dubium hæsitasse statuendum est:

1. ut coacta copiarum manu ad Pompeium proficisceretur; quod consilium prorsus omisisse videtur non ante ea quæ 12 Mai. in Pompeiano gesta sunt.

2. ut solus aut paucis comitibus adhibitis in Græciam abiret, quod postremo eum fecisse notum est.

3. per omne illud tempus nec non multo etiam postea penitus animo eius inhæsit paciscendi spes, cuius rei ut et ab ipso et ab aliis (cf. Plutarch. Cic. l. l.) maxime idoneus auctor iudicabatur, ita e vera animi sententia tale quid Ciceronem sibi proposuisse, non posse negari docuit Nissen l. l. p. 86 adn. 1.

Sed hæc illo quidem tempore, ut supra innuimus magis spes videtur fuisse quam consilium; unde fit ut non sæpe mentio eius incidat, velut huc spectare videtur gravioris personæ suscipiendæ spes,** plerumque duo illa consilia in epistulis distinguantur; cf. X 16, 4: «profectionis aut cogitationis meæ».

Atque alterum quidem ex illis quomodo et quando Cicero exsecutus sit postea erit videndum; restat ut de priore pauca addamus contra eos qui nil nisi nugas sub eo latere suspicati sunt.

Qua in re dolendum est, quod tantum videtur valuisse Drumanni auctoritas iniquissimum iudicium de Ciceronis

* Est hæc res una ex compluribus quæ similes inveniantur in Ciceronis epistulis, quas quoniam Attici epistulæ ætatem non tulerunt, ad liquidum perducere vix possimus. Nec non interdum inter illos ipsos factum est, ut alterius significatio «numero Platonis» ut ait Cicero obscurior videretur alteri. Quibus locis quanto difficilior sit huiusce ætatis interpretum conatus facile intelligitur; cf. ad Att. VII 13b, 1. XVI 11, 3.

** ad Att. X 13, 3.

consiliis ferentis: II p. 410 «Als Cicero a. 49 Pompeius nicht sogleich über das Meer folgte, und alle denkbaren Gründe hervorsuchte, um sich zu rechtfertigen, zugleich aber stets von seiner Pflicht und seiner Liebe zum Feldherrn sprach, riet ihm Atticus im Scherze (!) er möge nach Cœlius Beispiele für seine Partei ein Heer rüsten. Sein Freund schien dazu entschlossen, er erwartete nur die Gelegenheit und trat zurück, als sie sich darbot.» cf. VI 228.

Hæc quominus statueret miror Drumannum non impeditum esse Ciceronis verbis, quibus ad Att. X 15, 2 ipse quasi iudicium innuit de consiliorum quæ sequebatur natura; nam postquam de re familiari cum Attico egit præmissis verbis: «Sed ad *maiora* redeamus» ad Cælianum transit. Ceterum opportune accidit quod ad Ciceronis consilia recte cognoscenda maius etiam quam ipsius verba subsidium nobis præsto est ratio chronologica, de qua paucis nunc iam erit dicendum. Non enim casu videtur factum esse ut eodem tempore, quo prima Cæliani mentio in epistulis ad Atticum apparet, Cicero certior factus sit de Massiliensium factu, qui Cæsari portas clauserant, quod rumore ut videtur incerto allatum iam antea Atticus amico significaverat cf. X 11, 4: «de Massiliensibus gratæ mihi tuæ litteræ; quæso ut sciam quidquid audieris.» Certiorem autem illum nuntium quomodo Cicero acceperit, apparet e verbis eius ad Att. X 12b, 2: «Hispanias spero firmas esse: Massiliensium factum quum ipsum per se luculentum est, tum mihi argumento est recte esse in Hispaniis; minus enim auderent, si aliter esset et scirent, nam et vicini et diligentes sunt.» Itaque sine dubio spes aliqua mota est Ciceroni, aut dubiam esse aut certe retardatum iri Cæsaris victoriam; accedebat quod Pompeium armis aliquid gesturum esse omnium erat opinio quæ variis rumoribus mox confirmata mox debilitata est cf. ad Att. X 6, 3; 9, 1;

8, 4; (Cæs. I 39, 3; 60. 5). Tum de Sicilia quamquam auctori parum luculento non prorsus confidebat Cicero, tamen nil adversi, immo secunda nuntiabantur (cf. X 12a, 3): «Concursum Siculorum ad Catonem factum esse, orasse ut resisteret, omnia pollicitos, commotum illum delectum habere cœpisse».

Jam cum ita fere sese haberent res externæ, intra Italiam quoque minime florebant res Cæsaris: qui cum Romæ nil consecutus esset, immo ita apud plebem de ærario offendisset, ut ante profectionem contionem habere non auderet vehementerque animo perturbato proficisceretur (cf. Curionis narrationem ap. Cic. ad. Att. X 4, 8), ipse assecla eius C. Scribonius Curio rebus eius diffidebat nec Ciceronem celabat diffidentiam, ut apparet ex huius verbis ad Att. X 7, 2: «Curio mecum vixit iacere Cæsarem putans offensione populari Siciliæque diffidens, si Pompeius navigare cœpisset.» Neque vero errasse Curionem de offensione populari comprobatur significatione illa ludis Floralibus in theatro facta, de qua p. 21 diximus, cuius nuntius eodem die Ciceroni adlatus est, quo primum Cæliani mentionem iniecit in epistulis (cf. ad Att. X 12b, 2). Et hac quoque re nonnihil animi additum esse Ciceroni, cum per se sit verisimile, tum comprobatur verbis eius ad Att. X 8, 6. De municipum animis cf. IX 19, 1; (ad fam. VIII 15, 2).

Sed accedebat tertia res longe gravissima et Cæsari periculosissima, militum ipsius animi si non omnium at multorum quod parum erant firmi atque fideles. Cuius rei testimonium non afferam quæ postea demum gesta sunt, seditionem Placentinam quæque Plutarchus Cæs. 37 tradit de militum animis; ipsius Ciceronis locos habemus quibus res comprobatur quantumque ad Ciceronis consilia definienda valuerit efficitur: ad Att. X 12b, 2: «Legiones etiam has quas in

Italia assumpsit alienissimas esse video» et ad Att. X 15, 1: «(litteræ tuæ) nobis magnam spem attulerunt meliorum rerum de octo cohortibus; etenim eæ quoque, quæ in his locis sunt, labare dicuntur — eodem die Funisulanus a te attulit litteras, in quibus erat confirmatius idem illud».

Jam de ipso Cicerone videamus: quod ut recte faciamus, hoc ante omnia videtur monendum esse satis magnam vel eo tempore fuisse auctoritatem eius, quippe qui etiamtum proconsulari uteretur imperio et cui nuper a senatu militare munus decretum esset; nec sine causa Cæsar tantam operam navasse putandus est primum ut ipsius partibus illum conciliaret, deinde diligenter custodiis asservaret. Apparet hac ipsa re Ciceronem quasi monitum esse ut oblatam gravioris personæ suscipiendæ occasionem non prætermitteret.

Accedit alia res quæ nonnihil valuit sine dubio ad Ciceronis consilia; sæpe enim superioribus litteris ex Attico sciscitatus erat, numquid de L. Domitio Ahenobarbo comperisset cf. ad Att. VIII 12,6; 14,3; 15,1 extr. IX 9,3; 6,2; 15,4. Jam quæ novissime narrat de eo se comperisse, hæc sunt: «Domitius, ut audio, in Cosano est, et quidem ut aiunt, paratus ad navigandum: si in Hispaniam non probo, si ad Gnæum laudo». Notum est ex historicis (Cæs. I 34, 2; Dion. 41, 21, 3; Sueton Neron. 2) Domitium cum navibus actuariis VII, quas Igili et in Cosano a privatis coactas servis, libertis, colonis suis compleverat, Massiliensibus auxilio venisse. De hoc igitur facinore num certior factus sit Cicero, non apparet ex epistulis eius neque ubi de Massiliensium facto ille loquitur ad Att. X 10,4; 12b,2 Domitii mentio inicitur. Sed hoc mihi certum videtur Ciceronem, quod tantopere curasset, non neglexisse Domitii exemplum et alicuius momenti fuisse consilia eius ad Ciceronis illa definienda.

Tota denique regio in qua tum versabatur Cicero, sedi-

tioni contra Cæsarem movendæ erat aptissima; multæ enim ibi nobilium hominum Romanorum villæ erant nec non oppida ipsa alieno fuisse videntur a Cæsare animo (cf. ad Att. X 13, 1: (Neapolitanis et Cumanis) est Cæsar iratus.» nescio an hæc quoque causa fuerit, qua commotus Antonius præfectus Italiæ in illas regiones statim sese contulit).

Hæc omnia si quis spectat, facile opinor confitebitur errasse Drumannum et seria fuisse Ciceronis consilia, neque idcirco totam rem silentio prætermittendam esse censebit, quia pauca tantum de ea comperta habemus neque Cicero ea, quæ sibi proposuerat, ad finem perduxit: Nam ut de priore re prius dicam, ipsa horum consiliorum natura secum fert, ut pauca vestigia eorum appareant in epistulis, in quibus de iis rebus, quas intercipi periculosum esset, finem scribendi faciendum esse inter amicos convenerat (cf. ad Att. X 8, 1), quasque bene notis tantum tabellariis commiserunt (cf. ad Att. X 11, 1).

Altera vero res, quod occasione oblata (cf. ad Att. X 16, 4) Cicero non usus est omniumque illorum consiliorum finem fecit, non uni timido Ciceronis animo tribuenda est, sine causa insidias Cæsarianorum timentis; alteram enim causam nobis ratio chronologica ministrat: eodem enim tempore, quo a Cælianis consiliis Cicero destitit, litteræ ei adlatæ sunt a Curione, Catonem Syracusis profectum esse 23 Apr. — Catonem, qui Siciliam tenere nullo negotio potuit et *si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent* (cf. X 16, 3; coll. X 12a, 2.)

45 cf. X 13,2 coll. X 14,1. De Literno cf. Belochium l. l. p. 377 sqq. De Antonio cf. X 13, 1.

46 cf. X 14, 1.

47 cf. X 15, 3.

48 cf. X 15,4 et 16,4. De Mario cf. ad fam. VII 3, 1,

de quo *v.* Sternk. p. 69 a). Epistula videtur paulo ante profectionem data esse: («excurro in Pompeianum», non «excurram»). Iter erat Cumis Pompeios usque 33 mp. cf. Tab. Peut. p. 221 p. 225 ed. Desjardins. Itin. Antonin. p. 123. Causam, qua commotus Pompeios se contulerit, ipse Cicero exponit ad Att. X 16, 3: «ut minuerem suspicionem profectionis aut cogitationis meæ? De Cumanæ regionis frequentia sæpius Cicero mentionem inicit cf. ad Att. V 2, 2; XIV 16, 1. Notatu fortasse dignum est, quod anno 44, cum in dubitatione haud dissimili versaretur — intercedunt omnino complures inter res et a. 49 et a. 44 a Cicerone gestas similitudines —, Cicero in Pompeianum sese properare scribit ad Att. XV 13, 6, quod «interpellatores illic minus molesti.»

49 cf. X 16, 4.

50 v. Sternk. adn. 168. De Sardinia cf. X 16, 2. Tempus quo Sardinia a Q. Valerio Orca occupata est accuratius non potest definiri; habemus Cæsaris locum I 30, 3, quo «Caralitanos, simul ad se Valerium mitti audierint, nondum profecto ex Italia sua sponte Cottam ex oppido eiecisse» narrat. Orosius ordinis chronologici ut videtur satis observans, de Sardinia occupata ante Siciliam narrat (VI 15, 7; cf. Flor. IV 2, 22). Cotta in Africam profugit.

51 cf. X 17 extr. Anni tempus Cicero ipse accuratius indicat verbis § 3: «Nunc quidem æquinoctium nos moratur, quod valde perturbatum erat», quibus ad huius anni rationem chronologicam constituendem recte usus est Unger in Fleckeis. Ann. t. CXXIX (1884) p. 587. Verba quæ secuntur male tradita sunt in codicibus, ut certum de iis statuere non liceat; veri simile mihi tamen videtur scripsisse Ciceronem: «id si transierit, utinam idem maneat Hortensius». Cd. «cras erit»; cf. ad Att. II 21, 2: «transitum tempestatis expectare». Ceterum nescio an mirum sit, quod in ea

quæ sequitur epistula — duodevicesimam dico —, quæ tantulo post intervallo scripta esse putanda sit, Cicero scribit, mirificas se adhuc tranquillitates tenuisse.

52 cf. X 18, 1 et 2.

53 Quantum temporis Cæsar ad Massiliam commoratus sit, ex ipsius narratione potest concludi; naves enim longæ, quas Arelate faciendas curavit, postquam frustra de pace cum Massiliensibus egit, 30 diebus, a qua die materia cæsa est, effectæ armatæque sunt; his Massiliam adductis ab urbe profectus est cf. I 36, 5. Vides paulo plus quam unum mensem eum ibi versatum esse, ut qui c. 19 April. advenerit, ineunte mense Junio profectus esse putandus sit.

54 cf. ad fam. XIV 7, 2 et 3; ad fam. VIII 17, 1. Nescimus quid ultimo tempore Cicero in Italia egerit, nec constat num iam de Cæsare a Massilia profecto nuntius ei allatus fuerit, cum ex Italia profectus est.

Sequitur longum Ciceronis silentium, quo tempore quid ille egerit ex vita eius a Plutarcho conscripta paucisque aliorum auctorum locis, tum iis ipsius locis apparet, quibus postea rerum in Græcia gestarum mentionem iniecit; cf. Drumannum VI p. 230 sq., qui tamen minus recte mihi videtur statuisse, Ciceronem non adhibitum esse ad Pompeianorum senatum qui Thessalonicæ habebatur; hoc quibus argumentis comprobaturus fuerit equidem non satis video, neque locum ad Att. XI 4, 1, quo affirmat se «omne munus ad id tempus fugisse» ita interpretatus sim; is enim eo potius spectare videtur, quod neque exercitus parti neque provinciæ a Pompeianis præfectus est. Atque vero vix fieri potuit ut Cicero vir consularis a senatu illo prohiberetur.

55 cf. Cæs. II 32, 5 cum adn. 62.

56 Habemus singulorum dierum limites Cæs. I 41, 2; 42 1; 42, 4.

[57] cf. Cæs. I 48, 1 cum adn. 56.

[58] Tempus quo prior pugna navalis ad Massiliam commissa est ut definiatur, proficiscendum est a tempore, quo nuntius de ea Cæsari in Hispaniam allatus est; atqui hoc paucis diebus ante 25 Quintil. factum esse Cæsaris narratio docet I 59*—63 (cum adn. 59); nuntius autem a Massilia Ilerdam usque c. 10 diebus pervenisse putandus est; quare extremo mense Junio aut ineunte Quintili pugnam illam factam esse arbitror.

[59] Diligenter in singulos dies Cæsar narrationem discribit, quorum VIIII omnino efficitur numerus; hos igitur a deditionis die i. e. 2 Sext. (cf. adn. 60) regressi ad 25 Quintil. pervenimus; cf. Cæs. I 63, 3; 66, 3; 67, 6; 73, 1; 78, 5; 81, 3; 81, 4; 82, 1; 83, 4; 84, 1.

[60] cf. CJL. I p. 398. Fasti Maff. ibid. p. 306. F. Vall. p. 320. F. Amit. p. 324. F. Antiates p. 328.

[61] Quantum temporis intercesserit inter priorem et alteram pugnam navalem ad Massiliam commissam, accurate non potest definiri, sed tantum intercessisse constat, quantum in navibus reficiendis utrique consumpserunt; cf. Cæs. II 4, 1; 5, 1. Nec tamen eo tempore quo pugna commissa est, iam allatum fuisse Afranianorum deditionis nuntium inde concluserim, quod *citeriorem Hispaniam* Nasidius e pugna fugiens cum navibus petit, quod profecto non fecisset, si eam Cæsaris esse iam compertum habuisset. Itaque non post ineuntem mensem Sextilem pugna videtur commissa esse.

[62] v. F. Hofmannum ad. Cæs. II 23, 1.

[63] cf. Appian. bell. civ. II 47 init., qui iisdem diebus, qui-

* Glossema sunt nisi fallor in huius capitis § 2 verba «minus audacter» interpretationis causa ad «minus libere», quibus nil novi afferunt, addita.

bus rės in Africa gestæ sunt, Antonium victum esse narrat; Lucan. Phars. IV 526 sq.*

sol Ledæa tenebat
Sidera, vicino cum lux altissima Cancro est.

coll. Ovid. Fast. V 693 sqq. (ad 20 Mai.) et VI 725 sqq. (ad 19 Jun.).

Apud Cæsarem cladis Illyricæ enarrationem intercidisse in codicibus certum est; quam fuisse in lacuna post bell. civ. III 8 etiam nunc statuendum esse arbitror, quamquam nuper G. Zippel, die röm. Herrschaft in Illyrien bis auf Augustus. Lpz. 1877 p. 203 sqq. rem in dubitationem vocare conatus est. Cuius ex argumentis primum e cap. 4 loco, qui est de militibus Antonianis, petitum, iam ipse Nipperdey et protulerat et refutaverat, alterum inde petitum, quod anno 49 clades Illyrica facta est, loco III 8 autem de rebus a. 48 gestis Cæsar narrat, Zippel ipse infringit p. 205, ubi ipse nonnulla a. 49 gesta Cæsarem III 8 repetivisse statuit, ut paulo altius eum regressum esse non sit cur negemus. Neque pluris valet tertium argumentum, a Zippelio prolatum: nam non semper eundem esse rerum ordinem apud Cæsarem et Livium certum fit illorum inter se comparatione.

* Luculentum hoc exemplum est miræ illius diligentiæ, qua sæpe in rebus singulis afferendis Lucanus utitur quaque Liviani operis usus satis diligens apparet; similia sunt V 460 (Palæste), IV 154 sq., III 143 (Cotta), VI 73 sqq. c. schol. Bern. Eodem pertinet accurata regionum et oppidorum situs descriptio, velut Massiliæ III 375 sqq., Dyrrhachii VI 19 sqq. (cf. Heuzey-Daumet, Mission archéologique en Macédoine p. 350, 373). — Quo magis mira sunt poetæ verba V 374: (Cæsar) Brundusium decimis iubet hanc «attingere castris» (scil. milites qui Placentiæ seditionem fecerant); iter enim erat a Placentia Brundisium usque 693 mp., quod ut decem diebus exercitus perficeret nullo modo fieri potuit; olim suspicatus sum mutandum esse et latere undecim dierum numerum («Brundisium undecimis»), quem ex undecim dierum, quos Romæ Cæsarem dictatura functum esse constat, synchronismo falso poeta computasset — attamen nimis artificiosa est hæc ratio neque quidquam mutare ausim, malim errorem Lucani statuere.

Quodsi in lacunæ vestigio totius quæstionis cardo versatur, quæ tandem ea lacunæ vestigia sunt, quæ spretis illis, quæ ipsi præbent codices, Zippel alio loco invenisse sibi visus est? Suspicatur enim verbis «iisdem temporibus» quæ sunt initio cap. 23 l. II non apte coniungi Massiliæ deditionem post Idus Sept. factam et Curionis expeditionem quæ mense Sextili contineatur. Quasi vero non is esset illius formulæ usus apud Cæsarem, ut, cum per idem circiter temporis spatium duæ res gestæ sint, altera usque ad finem pernarrata alterius enarrandæ initium sibi muniat (cf. III 20; 31; 36; 100; 101). Denique quod commodum e sua ratione nasci putavit Zippel, nescio an incommodum potius sit: comparemus enim singulorum Cæsaris de bello civili librorum amplitudinem; paginarum (Teubnerianæ editionis) numeri hi sunt; I: c. 40; II: c. 23; III: c. 55; atqui liber tertius paulo etiam quam nunc exstat amplior fuisse putandus est additis iis quæ in lacunis post c. 8 et c. 50 interciderunt. Vides, etiamsi quid cum Zippelio addas ad librum II, non tamen æquos fieri paginarum numeros. Contra si libro III materia accrescat, componendi rationem nobis præberi, librorum usui, qui erat apud veteres, optime accommodatam-eam dico ut primi et alterius librorum amplitudini unius tertii commentarii circuitus respondeat. Quæ si recte video, Nipperdeii sententia falso a Zippelio tentata est.

64 *v.* Zumptium, Studia Romana p. 199 sqq. et Hofmannum ad Cæs. II 21, 5.

65 Hofmannum ad Cæs. II 21, 5.

66 Nuntius de seditione Placentina Massiliam Cæsari allatus est cf. App. II 47; itaque post urbis deditionem quam celerrime in Italiam videtur properasse ut summo periculo ipse præsens obveniret. Iter autem est a Massilia Placentiam usque 356 mp. (cf. It. Ant. p. 288; 294 sqq. Tab.

Peuting. ed. Desjardins p. 153), quod 7—9 diebus Cæsar perfecisse putandus est. Quare exeunte mense Septembri seditionem ab eo sedatam esse arbitror.

67 Vulgo ad exeuntem mensem Novembrem Cæsaris reditum referunt (cf. Zumptium l. l. p. 206; L. Langium, Antiquit. Rom. III p. 410), inde profecti, ut videtur, quod statim post adventum dictaturam Cæsar inierit, post undecim dies illa se abdicaverit, deinde statim ab urbe profectus sit. Unus, quantum video F. Hofmann in tabula chronologica ab hac sententia recessit, per totos Octobrem et Novembrem menses Cæsarem Romæ versatum esse statuens, cuius tamen sententiæ rationem non reddidit.

Jam una res statim obstat Zumptii et Langii sententiæ, in qua illos non offendisse satis mirum est: nam quid tandem toto illo tempore, quod intercessit inter exeuntem mensem Septembrem, quo seditionem Placentinam sedavit, et exeuntem mensem Novembrem, Cæsarem egisse statuamus? an bello huius anni confecto, sedata militum seditione quidquam antiquius Caesarem habuisse iudicemus, quam ut Romam reverteretur multasque res quas infectas discedens mense Aprili reliquerat ad finem perduceret?*

Quodsi auctorum veterum testimonia percensemus, unus Dio ita rem enarrat, ut plus quam undecim illos dictaturæ dies Cæsarem Romæ commoratum esse statuat; cf. 41, 36, 2 sqq. *ὑπέστη μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπεὶ πρῶτον ἐς τὴν πόλιν ἐσῆλθεν*; deinde postquam quæ intra dictaturam gesserit enarravit, dictatura eum se abdicasse affirmat et aliam quan-

* Has intelligendas esse censeo Cæsaris loco II 18, 7, quo tempore deditionis Afranianorum «multis necessariisque rebus» sese in Italiam revocatum esse affirmat, ubi eos qui de seditione Placentina cogitabant recte refutavit Hofmann neque tamen eo argumento usus est, quod ipsa legio nona, quam seditionis principem fuisse constat (cf. App. II 47) usque ad 4 Sext. apud Cæsarem in Hispania mansit (cf. Cæs. I 87, 4; 45, 2).

dam legitimam potestatem nactum esse; iam c. 37 init. pergit: «τυχὼν δὲ τούτου μέγα εὐθὺς καὶ ἀναγκαῖον πρᾶγμα διώρθωσεν», legesque, de pecuniis mutuis illam et similem alteram, exponit. Alii auctores (Cæs. III 1, 2 sq. App. II 48; Plut. Cæs. 37) a dictatore Cæsare legem de pecuniis mutuis datam esse narrant; quare dolendum est quod nil certius de tempore eius statuere possumus; nam unam legem de revocandis ambitus lege Pompeia damnatis ante 10 Decembr. rogatam esse inde concludere licet, quod Antonium tribunum plebem huic rei interfuisse constat e Ciceronis loco Phil. 2, 23, 56.

Jam etiamsi nil certi de illa re statui posse videatur, recte Hofmannum ad ineuntem mensem Octobrem Cæsaris reditum revocasse arbitror. Iter enim Placentia Romam usque 390 mp. 7—10 diebus ille perficere potuit neque usquam in itinere diutius eum commoratum esse aut ullius veteris auctoris testimonio confirmatur aut per se veri est simile.

Ceterum tum demum, non mense Aprili factum esse ut de pacis legatis ad Pompeium mittendis Piso Cæsarem adhortaretur, vel inde concluserim quod Cicero, ubi de rebus mense Aprili Romæ gestis loquitur, nusquam Pisonem ad Cæsaris senatum venisse significat, quem initio perturbationis rei publicæ a generi partibus non stetisse expressis verbis Attico nuntiaverit. Plutarcho igitur (Cæs. 37 init.) fides habenda est cum Langio III p. 413 sq. Mommseno III p. 392, non Dioni 41, 16 extr., ut Drumann voluit. Atque vero Dio ipse addita voce «ποτέ» hoc videtur innuere.

Romam reversus statim dictaturam iniit qua post undecim dies sese abdicavit. Deinde aut in urbe aut prope urbem usque ad profectionem commoratus est.

68 De Cæsaris profectione cf. Appian. II 48 extr. «αὐτός τε ἐξῄει Δεκεμβρίου μηνὸς Ῥωμαίοις ὄντος οὐκ ἀνα-

μεινας οὐδὲ τῆς ἀρχῆς ἕνεκα τὴν νουμηνίαν τοῦ ἔτους πλησιάζουσαν; Dion. 41, 39, 1: *ἐπ' ἐξόδῳ τοῦ ἔτους καὶ πρὶν ἐς τὴν ὑπατείαν ἐς ἣν ἐκεχειροτόνητο ἐσελθεῖν ἐξώρμησε* — hoc igitur tempore Brundisium profectus est, quo «*περὶ χειμερίους τροπὰς*» (App. l. l.) omnem exercitum convenire iusserat: «atque vero brumæ tempore i. e. 23 Decembr. primum a Brundisio naves solvere conatus est, quod unus narrat Appianus II 54.* Quare non post Idus Decembres a Roma Cæsar profectus esse putandus est.

69 cf. Cæs. b. c. III 6, 2.

70 cf. ibid. 3.

71 Tempus quo ad Apsum uterque castra habere cœpit hac fere ratione definiendum est: eo enim tempore, quo Cæsar copias in Cræciam traiecit, Pompeius in Candavia erat (cf. Cæs. III 11, 2); eo igitur ad eum venit L. Vibullius Rufus, adventum Cæsaris nuntians; qui cum summa celeritate «continuato nocte ac die itinere» usus sit, iter c. 150 mp. 3—4 diebus perfecisse putandus est, ita ut c. 10 Januar. ad Pompeium venerit; is «re nova perturbatus maioribus itineribus Apolloniam petere cœpit», sed certior factus de Apollonia et Orico oppidis a Cæsare occupatis, Dyrrhachio timens diurnis eo nocturnisque itineribus contendit castraque prope oppidum metari iussit; quo facto, cum Cæsar præoccupato itinere ad Dyrrhachium finem properandi fecisset et castra ad flumen Apsum posuisset in finibus Apolloniatium, ipse quoque a Dyrrhachio processit et in dextra fluminis ripa castra posuit.

* Cuius tamen auctoritas miro quodam Plutarchi errore videtur confirmari: Appianus enim primum cum 5 legionibus Cæsarem naves solvere conatum esse narrat, dein 2 legiones accessisse ut cum 7 denique navibus solverit; Plutarchus Cæs. 37, quem eodem, quo Appianus, fonte usum esse constat, male brevitatis studiosus ita rem contraxit, ut cum quinque omnino legionibus Cæsarem profectum esse narraret.

Quodsi computamus hæc omnia Pompei itinera, summa efficitur c. 250 mp. (Accuratior numerus non potest dari; usus sum Kieperti tab. Atl. Hell. VII) unde non minus 10 dies in illis perficiendis illum consumpsisse apparet. Vides c. 14 dierum spatium inter Cæsaris adventum et castrorum ad Apsum initium intercedere.

De rebus, quas Cæsar post adventum gessit, cf. Cæs. III 11, 3 sq.; 12; 13, 5; expositis enim militibus eodem die i. e. 5 Jan. Oricum profectus est addito noctis itinere (cf. Appian. bell. civ. II 54).

6 Jan. mane ad oppidum advenit; quo recepto statim Apolloniam profectus est, quo perfecto c. 30 mp. itinere (cf. Kieperti Atl. Hell. t. VII) Jan. advenit 8, ut videtur.

72 Cælii epistula ad Ciceronem VIII 17 quando scripta sit ut indagemus, de totius seditionis Cælianæ tempore quærendum est. Quam initio anni 48 initium cepisse, apparet e Cæsaris loco III 20, 1 «initio magistratus». Cælius enim non observato biennio exeunte a. 49 prætor creatus est et 1 Jan. a. 48 magistratum iniit. Jam quæritur, quando finis seditioni sit impositus; ac celerem quidem exitum illam habuisse in universum Cæsar auctor est III 22, 4; sed accuratior etiam terminus effici videtur, si reputamus, quo loco seditionis enarrationem inseruerit; c. 19 enim et iis quæ antecedunt res ad Apsum gestas exponit, quæque eodem tempore in Græcia gesta sunt; deinde cc. 20—22 adiungit Cælianæ seditionis enarrationem, et quidem adhibita c. 20 init. formula «iisdem temporibus», quam non ad initia tantum seditionis spectare inde apparet, quod adiectis statim verbis «initio magistratus» ad prima seditionis tempora quasi regreditur. Narrata autem seditione inde a c. 23 scriptor transit ad eas res enarrandas, quæ paulo ante castrorum ad Apsum finem gestæ sunt. Jam præcipere mihi liceat, quod

infra adn. 74 erit demonstrandum, finem impositum esse castris ad Apsum exeunte mense Februario; itaque hoc fere tempore gesta sunt quæ cc. 23 sqq. Cæsar enarrat, ante hoc tempus facta sunt, quæ cc. 19 et iis quæ antecedunt exponuntur, nec non ea, quæ eodem tempore in Italia gesta esse Cæsar auctor est, seditionem dico Cælianam.

Hæc si recte vidi, apparet non recte ad mensem Martium vulgo referri tempus epistulæ, ad fam. VIII 17, de qua agimus. Scripta ea est sine dubio postquam legibus promulgatis hominum animos sibi conciliare iam conatus est Cælius cf. § 2: «equidem — esset»; et eo potissimum consilio videtur scripta esse ut Ciceronem et ceteros Pompeianos ad ipsam Italiam petendam evocaret cf. ibid: «vos dormitis — imbecilli?» Quodsi Cælius e Cicerone quærit, num prœlium exspectent in Græcia, veri simile est nuntium iam tum Romam fuisse allatum de Pompei itineribus et de utriusque exercituum apud Apsum congressu.

Quæ cum ita sint, quamquam nil certi de epistulæ tempore statui posse fateor, extremo mense Januario illam scriptam esse statuam.*

Respondet nisi fallor huic rationi chronologicæ locus, quo Livius, quem temporum ordinem in rebus enarrandis secutum esse plus unum docet vestigium, Cælianæ seditionis enarrationem inseruit cf. epit l. CXI; qui rerum ordo ut a ceteris auctoribus Livianis videtur retentus esse, ita miro prorsus loco 42, 22 sqq. eoque inepta prorsus ratione rem protulit Dio. Unde occasionem mihi petere liceat, qua

* Nescio quid in huius epistulæ § 2 lateat sub tradita in codicibus lectione: «Arruntanum me Catonem» neque hominum doctorum coniecturas adhuc prolatas comprobare possum. Fortasse ad verba «me Catonem» intelligenda non nullius momenti est locus Ciceronis ad Att. XVI 1, 6, quem tamen ipsum quoque quomodo expediam non habeo.

paucis exponam de re mire adhuc neglecta ab iis qui Cassi Dionis fontibus operam dederunt.

Itaque ut a Cæliana seditione initium faciam, Grohsio (der Wert des Geschichtswerkes des C. D. als Quelle für die Geschichte der Jahre 49—44 v. Chr. Diss. Lips 1884.) quidem rerum singularum narratio cum Livianae narrationis fragmentis ita videtur consentire, ut Livii usum in hac quoque re Dioni non abrogarit, attamen quod alio prorsus loco ille rem inseruit atque Livius, hoc alius cuiusdam fontis auctoritate factum esse suspicatur neque vero diversorum fontium male conglutinatorum vestigia apud Dionem deesse censet p. 97 sq., velut id quod, «nach Constatierung der Amtsentsetzung des Cælius (c. 23) in den Kapiteln 24 und 25 wiederholt die Beamtenqualität... des Cælius betont wird.» Quod argumentum nullius esse non negabit, si quis respiciat Dionis verba, quibus «republica prohibitum» esse Cælium, non «magistratum ei abrogatum esse» Dio exponit; abrogatio omnino aliena erat a iure neque quidquam est, quo rei tam insuetæ hic usum factum esse comprobetur.

Nec profecto alius cuiusquam præter Livium fontis usus Dionem commovit, ut alio atque ille loco rem insereret, immo hac quoque in re scriptor id fecisse videtur, quod late patet in libris eius nec tamen adhuc observatum est; consilio ille atque industria mutavit rerum ordinem, quem apud Livium quo utebatur invenit, cuius rei varia extant vestigia, velut Cælianam narrationem ineptis verbis eum inseruisse supra docuimus; alterum vestigium, quod quidem ad res tempore nobis proposito gestas pertineat, rerum Illyricarum enarratio est 42, 11, quæ cum mirum quantum a ratione chronologica laboraret, recte ut mihi quidem videtur a Judeichio Cæsar im Orient p. 20 sq. expedita est, cui una tantum in re non assenserim: causa enim errorum Dionis et perturbationis mihi

inde videtur petenda esse, quod mutato rerum ordine Liviano quæ non uno loco ille protulerat, non satis diligenter, dum rationi geographicæ in rebus disponendis obsequitur, in unum conglutinavit. Possim afferre complura alia vestigia; quæ tamen ad res aut ante aut post tempus nobis propositum pertinent; itaque huius loci non est rem latius extendere, alii loco reservandam puto.

73 De prima libri XI ad Atticum epistula numquid certi statui possit dubito; scripta est aliquanto post Ciceronis ex Italia discessum, quod apparet e verbis § 2: «commoratus essem paullisper nec domesticas res impeditas reliquissem, ob eamque causam serius ad te scribo etc». Quodsi comparamus verba § 2 «ego in cistophoro in Asia habeo ad HS bis et vicies» et ep. ad Att. XI 2, 3: «Ex ea pecunia quæ fuit in Asia partem dimidiam fere exegi. Tutius videbatur fore ibi ubi est, quam apud publicanos» — veri fit simile Ciceroni, cum illa scripsit, nondum allatum fuisse nuntium de turbatis a Scipione rebus in Asia, de quibus cf. Cæs. bell. civ. III, 32. — De ep. ad Att. XI 2 cf. § 1 «Litteras tuas accepi pridie Non Febr.» et § 4: «Tardius ad te remisi tabellarium.» Ceterum dubito num recte ad Cæsarianorum aliquod diripiendi consilium, de quo aliunde nil constat, Boot rettulerit, quæ de domo sua § 3 Cicero scribit.*

74 Præcipuum locum obtinere transitum Antonii inter res a. 48 in Græcia gestas non ignorat, quisquis præter Cæsaris illam callide obscuram reliquorum quoque auctorum narrationes perlegit; Antonii enim adventu e summo discrimine, quod nimia audacia ipse incurrerat, Cæsar ereptus, castris ad Apsum finis impositus est, res ad obsidionem Dyrrhachi-

* Chrysippus libertus Ciceronis num in gratiam redierit cum patrono incertum est; habemus alterum Chrysippum, Cyri *architecti* libertum (cf. ad Att. XIII 29, 2), de quo nescio an hic Cicero loquatur.

nam perductæ sunt. Jam ut de huius rei gravissimæ tempore fiamus certiores, proficiscendum est a Cæsaris cladis Dyrrhachinæ tempore, qua obsidioni Dyrrhachinæ finis impositus est, quamque exeunte mense Junio accidisse infra erit demonstrandum (adn. 79); accuratum enim habemus Suetonii testimonium (d. Jul. 35), Pompeium per quattuor pæne menses maximis operibus a Cæsare obsessum esse, quæ verba quin ad obsidionem Dyrrhachinam pertineant nulla potest esse dubitatio. Sequitur ineunte mense Martio Pompeium apud Dyrrhachium obsideri cœptum esse; sic enim «quattuor pæne mensium» quod desideratur spatium obsidioni tribuitur.

Tempus autem quod intercessit inter Antonii transitum et obsidionis Dyrrhachinæ initium, ad singulos pæne dies e Cæsaris commentariis potest definiri, quorum 10—12 esse numerum veri simile est.

Vides, si recte sese habeat ratio a me proposita, extremo mense Februario, in Græciam transisse Antonium; iam cum reliquorum auctorum testimonia non obstent huic sententiæ (cf. Plutarch. Anton. c. 7: χειμῶνος ὥρᾳ; App. II 56 sqq.), unius Cæsaris auctoritas summam dubitationem movit; is enim, ubi Antonii transitum narrare incipit III 25 init. «multos iam menses fuisse et hiemem præcipitasse» affirmat, quæ verba non modo non satis definita et accurata verum etiam paulum subobscura sunt; nam statim quæstio exoritur, quonam ex tempore «multos menses» præteriisse significet. Fuerunt qui de hiemis initio cogitarent, ut Cæsar dixerit: «multi iam menses ex initio hiemis præterierant et hiems iam præcipitaverat» (cf. Oudendorp. ad Cæs. l. l.) magis, tamen probabilis recentiorum interpretum est interpretatio, qui multos illos menses a tempore quo in Græciam transierit, Cæsarem computasse statuunt. Jam quanta nobis difficultas exoriatur manifestum est; nam etiamsi exeunte mense Fe-

bruario hiemem iam præcipitasse non mireris quod Cæsar dixerit, tamen a 5 Januar. a. 48 non multi menses præterierant, sed ne duorum quidem spatium erat expletum.

Itaque aut tota illa temporum ratio, quam supra invenimus, nobis abicienda aut de Cæsaris loco nobis dubitandum est. Jam si repûtamus, usum verborum, qualia sunt «multi, pauci» et similia, et per se satis esse liberum et vel maxime esse apud Cæsarem (*v.* Judeichium, Cæsar im Orient p. 163) porro si reputamus, Cæsari qui in summo periculo versaretur et non sine animi desperatione, quod comprobatur audaci eius conamine, subsidia opperiretur, sine dubio etiam longius visum esse temporis spatium quam reapse erat (*v.* Hofmann ad Cæs. l. l.), denique si addas non sine consilio fortasse in temporum ratione exponenda paulo obscuriorem fuisse Cæsarem * hæc omnia cum reputamus, vix opinor facere possumus quin fidem habeamus Suetonii certum numerum afferentis testimonio, Cæsaris verba neglegamus.

Accedunt duo alia argumenta, quæ ad comprobandam hanc sententiam liceat afferre. Primum enim consideratis causis, quibus vel maxime Cæsar commotus est ne Antonii transitum differri pateretur, ad id anni tempus revocamur, quo difficilis etiamtum erat navigatio in mari Adriatico necdum «durius tempus ad transportandum lenioribus ventis» cf. Cæs. III 25, 3; Appian. II 56.

Alterum argumentum ab iis rebus petendum est quæ eodem fere tempore, quo res ad Apsum, alio loco gestæ sunt. Coniuncto enim Antonii exercitu Cæsar Cn. Domitium Calvinum cum duabus legionibus in Macedoniam misit cf. Cæs. III 34, 3; quo cum ille advenisset et civitatum lega-

* Similiter temporum rationem consilio a Cæsare perturbatam esse in alia re suspicatus est Bergk, Beitr. zur röm. Chronol. III p. 619 sq. (Fleckeis ann. Suppl. XIII 1884).

tiones ad eum convenire cœpissent, subito nuntiatum est adesse Scipionem cum legionibus ex Asia (cf. ibid. 36, 1); vides inter Antonii transitum et Scipionis adventum tantum temporis spatium intercedere, quantum efficitur 8 circiter diebus, quos in itinere in Macedoniam Domitius consumpsisse putandus est, et paucis illis diebus quos ante Scipionis adventum commoratus est in Macedonia. Jam de Scipione videamus; cui Ephesi versanti et pecunias a fano Dianæ tollere paranti redditæ sunt a Pompeio litteræ, «mare transisse cum legionibus Cæsarem: properaret ad se cum exercitu venire omniaque posthaberet». «His litteris acceptis Scipio iter in Macedoniam parare incipit paucisque post diebus est profectus» (cf. Cæs. III 33). Quodsi Pompei litteras 10 Jan. datas extremo mense Januario Ephesum allatas esse statuimus, ineunte m. Februario illum profectum esse veri simile est. Quo sit itinere usus, Cæsar expressis verbis non exponit et nescio qua ratione commotus Drumann III p. 503 navibus eum fecerit traicientem; nam, quæ una inveni quibus aliquid efficiatur, verba Cæsaris III 36, 2: «hic *nullo in loco Macedoniæ moratus* magno impetu tetendit ad Domitium etc.» nescio an aptius dicta sint de eo qui terra iter faciens inde a Thraciæ confiniis magnam Macedoniæ partem emensus est quam qui Thessalonicam naves adpulit statimque in Thessaliam iter deflectit.

Sed hæc parum certa esse fateor; certum autem est nisi fallor, non tantum temporis spatium in itinere illo consumpsisse Scipionem, ut, qui ineunte mense Februario ex Asia profectus esset, post medium mensem Martium in Macedoniam adveniret. Quæ si recte statuo, habemus iam terminum, unde c. 12 illos dies regressi, quos inter Antonii transitum et Scipionis adventum intercessisse supra demonstravimus, ad Antonii transitus tempus perveniamus. Vides hanc quoque

rationem cum sententia quam supra proposui optime convenire.*

75 cf. Cæs. III 34, 1; 39; 40.

76 cf. ad fam. XIV 8 extr. «D. IIII Non. Jun.» Quæ sint Cæsaris litteræ illæ, de quibus Cicero scribit, dolendum est quod nescimus nec in re tam incerta coniecturas proferre ausim.

77 Vulgo ad mensem Maium hanc Dolabellæ epistulam referunt (*v.* edd. et Wegehauptium, Dolabella p. 8 adn. 9)** atque vero inter mediam obsidionem Dyrrhachinam, circumvallato iam Pompeio eam scriptam esse certum est, cf. § 2. Deinde ad tempus eius definiendum nescio an iuvemur iis, quæ de Terentiæ valetudine Dolabella Ciceroni nuntiat § 1 init. «Terentia minus belle habuit sed certum scio iam convaluisse eam». Nam si quidem non videtur audacius esse in hac re argumentum petere e silentio, Dolabellæ litteras Ciceroni nondum adlatas fuisse veri simile est, cum ad Terentiam ille dedit ep. fam. XIV 8; in qua nihil scribit de læto illo generi nuntio.

Quodsi hanc sententiam comprobas, non ante exeuntem mensem Maium litteræ a Dolabella datæ sunt; is enim apud Cæsarem tunc fuit in castris,*** unde paucis diebus litteræ Ciceroni allatæ esse putandæ sunt.

* Non est cur copiosius redarguam artificiosam Göleri coniecturam p. 83 adn. 2 qui «quattuor pæne menses», de quibus Suetonius dicit, non ad obsidionem Dyrrhachinam, sed ad castra apud Apsum habita referendos esse censuit. Quam sententiam si quis comprobarit, tres menses Scipionem in itinere consumpsisse statuat necesse est, res autem omnes, quæ apud Dyrrhachium gestæ sunt, vix duorum mensium spatio angusto contineri.

** Nullo modo constare potest Hofmanni sententia in epistularum selectus editione quarta prolata ad hanc epistulam; qui de extremo mense Junio profecto non cogitasset, nisi perperam usque ad exeuntem mensem Quintilem Pompeium apud Dyrrhachium obsessum esse statueret; v. infra adn. 79 p. 53 sq.

*** Mirum est etiamnunc esse qui Romæ statuant tunc Dolabellam versa-

Accedit tertia ratio qua cum rebus illo anno gestis quasi cohæret epistula; agitur de verbis Dolabellæ § 2: «velim... si forte Pompeius his quoque locis pulsus rursus alias regiones petere cogatur, ut tu te *vel Athenas vel in quamvis quietam* recipias *civitatem*». Apparet Dolabellam cum hæc scripserit non modo nihildum de Athenarum obsidione comperisse, sed etiam ignarum fuisse, fore ut eo belli pars transferretur: quod factum est dimisso a Cæsare Q. Fufio Caleno legato, qui postquam Delphos, Thebas, Orchomenum alias civitates recepit hæsit ante Athenas et Megara, in quibus oppugnandis eo tempore quo apud Pharsalum pugnatum est, occupatus erat (cf. Cæs. III 55; Plutarch. Cæs. 43; Dion. 42, 14 *v.* W. Judeichium, § 33 p. 169 sqq.). Jam quia Dolabellam ut familiarem Cæsaris consiliorum eius haud expertem fuisse satis est veri simile, aliquanto post conscriptam epistulam ad fam. IX 9 Calenum a Cæsare dimissum esse coniecerim, quippe cuius rei nullum etiamtum in illa appareat vestigium.

78 cf. ad Att. XI 3, 3 extr. Pecuniæ, quam eo tempore laboranti Pompeio mutuam dederit, peracto bello Cicero mentionem inicit ep. ad Att. XI 13, 4, unde cognoscimus, ipsum pecuniam illam et ab Attici villico, qui erat in Epiro, sumpsisse (cf. XI 2, 4) et aliunde mutuatum esse, Quintum autem per litteras questum esse, quod non sibi potius subvenisset.

79 Pugna qua finis impositus est obsidioni Dyrrhachinæ, quando commissa sit, duabus rationibus potest indagari, quarum utramque proferam ut alterius consensu quasi confirmetur altera.

Atque primum quidem a tempore quo apud Pharsalum

tum esse, quam sententiam recte reiecit Drumann VI p. 234 a. 18; cf. et Hofmann. ad ep. I.

pugnatum est, proficiscendum erit, unde quasi retro gradum ferentes ad cladis Dyrrhachinæ tempus perveniamus diligenter computatis temporum spatiis, quibus singulæ res inter pugnas Dyrrhachinam et Pharsalicam gestæ contineantur.

Pugnatum est apud Pharsalum 9 Sext. a. 48 (*v.* adn. 80); iam quasi in tabula adiciam singularum rerum ante pugnam illam gestarum tempora; habes enim:

aliquot dies, quibus, postquam Pompeius Pharsalum advenit, frustra ei pugnandi potestatem fecit Cæsar et quibus unum tantum prœlium equestre commissum est cf. Cæs. III 84, 2—5;

«paucos dies» quibus ante Pompei adventum solus apud Pharsalum Cæsar castra habebat cf. Cæs. III 81, 3; 82 init.

7 dies, quibus, si quidem Appiano II 64 fides est habenda, a Gomphis Cæsar Pharsalum pervenit; duæ huius itineris partes distinguendæ sunt: altera qua post receptam Metropolim ad campos Pharsalicos ille pervenit; abest autem oppidum illud a Pharsalo c. 35 mp. itinere (usus sum tabula Thessaliæ geographica, quam libro suo addiderunt Heuzey-Daumet, Mission archéologique en Macédoine. Paris 1876. tab. g. $\frac{1}{250,900}$) quod 2 diebus Cæsar perfecisse putandus est. Altera pars est ea quæ inter Gomphos et Metropolim oppida intercedit, iter c. 12 mp., in quo unum diem ille consumpsit. Quodsi addimus tempus, quod ante Metropolim Cæsar commoratus est, et unum fortasse diem, quem intermisso itinere quieti dux concessit, satis recte sese habent 7 dies de quibus Appianus dicit. Ceterum de toto itinere cf. Cæs. III 80 sq.*

* cf. Gölerum p. 147 sq.

2 dies, quos in itinere ab Aeginio Gomphos usque, quod est c. 18 mp., consumpsit; oppidum eodem die quo venerat expugnavit cf. Cæs. III 80.

c. 10 dies, quos in itinere ab Apollonia Aeginium usque Cæsar comsumpsisse putandus est; via qua in hoc itinere usus est non certo potest definiri; Cæsar enim ipse tanta narrationis brevitate utitur, ut nil nisi «per Epirum et Athamaniam* sese iter fecisse» proferat. Quodsi dimetimur, quantum spatii recto itinere intercedat inter illa oppida, 146 efficiuntur milia passuum (usus sum H. Kieperti tabula Atl. Hell. tab. VII), quos non minus 10 diebus Cæsarem cum exercitu absolvisse, præsertim cum haud facilis fuerit magna pars itineris, satis est veri simile.

c. 10 dies, qui intercedunt inter cladem Dyrrhachinam et Cæsaris profectionem ab Apollonia. Videtur enim accepta clade non plus unum diem in castris apud Dyrrhachium commoratus esse (cf. Cæs. III 75 init.), deinde 4 diebus Apolloniam pervenisse (cf. III 76; 77 init.) 3 dies fuisse Göler p. 142 computat, attamen pluralis, qui est III 77, 2: «hoc idem *reliquis* fecit *diebus*» rationem habendam esse censeo, nec mirum esse quod 4 dies in 50 mp. itinere Cæsar consumpsit, quia, quod ipse Göler recte affert, 4 flumina ei erant traicienda.

Apolloniæ autem Cæsar «sauciis deponendis, stipendio exercitui dando, sociis confirmandis, præsidio

* Hæc certissima est Drumanni emendatio pro tradita in codicibus «Acarnania» voce; cf. Nipperdeium, Quæstiones Cæsarianæ p. 178 et Plut. Pomp. 66. Afferenda est fortasse eorum itinerum similitudo, quæ a Flaminino et Philippo Macedonum rege ante et post pugnam apud Aoi angustias commissam facta sunt, de quibus cf. Liv. XXXII 5 sqq.; Leakium, Travels in northern Greece I p. 398; Stuartium, Journal of the geograph. soc. of London XXXIX (1869) p. 285 sq.

urbibus relinquendo tantum temporis tribuit, quantum erat properanti necesse» cf. III 78, 1 et 2. Quare non plus 5 dies eum ibi commoratum esse licebit statuere.

Jam computatis his singulis dierum numeris, summa efficitur non minus, nisi fallor, 40 dierum, quos inter pugnam Pharsalicam et cladem Dyrrhachinam intercessisse statuendum est.* Apparet igitur non post Kalendas Quintiles hanc factam esse et mire F. Hofmannum peccasse, qui totum mensem Quintilem in obsidione Dyrrhachina a Cæsare consumptum esse statuerit; immo extremo mense Junio aut antea finem ei impositum esse comprobatur ea quam supra instituimus computatione, ex ipsarum rerum gestarum ratione petita.

His peractis ad alteram rationem transeamus, quæ Ciceronis nititur epistulis; illius enim exstant litteræ ad Att. XI 4, quarum de tempore primum quærendum est. Ac plerique quidem homines docti, qui Ciceronis epistulis operam dederunt, Manutius, Schütz, Gruber, Boot unam esse ep. ad Att. XI 4 omnino negaverunt. Quam si oculis perlustramus, sane mirum videri potest, quod in § 1 nullas res litteris dignas sese habere Cicero affirmat, contra § 2 init. de nova quadam re nuper gesta, de qua Atticus in epistula quæsiverat, ad Isidorum sciscitantem revocat; quam rem esse Cæsaris cladem Dyrrhachinam Manutius recte perspexit.

Sed tolli videtur hæc difficultas, cum reputamus, aliquantum iam temporis post cladem illam elapsum esse, per quod cum nil novi gestum esset recte Cicero scripsit quæ in § 1 leguntur, nec prima e tribus, quas ab Attico tum accepit, epistula ansam ei præbebat veteris, ut Ciceroni quidem poterat videri, rei commemorandæ; altera tantum perlecta epi-

* Similis est Göleri ratio p. 148 adn. 2 proposita.

stula commotus est ut quærenti responderet, quod quia non idonea res erat, quæ litteris mandaretur, ita instituit, ut e tabellario Atticum sciscitari iuberet. Omnino hæc Ciceronis consuetudo erat, ut pluribus una acceptis epistulis ad singulas aut observato aut obverso temporum ordine responderet (cf. e. gr. ad Att. IX 9, 1; XIV 19, 1; XV 3, 1 etc.); quod cum hic quoque eum fecisse statuimus, sublata est difficultas illa, de qua diximus, nihilque obstat quin unam esse ep. ad Att. XI 4 concedamus; missa autem est epistula per Isidorum (cf. § 2 init.), qui unam e tribus illis epistulis Attici attulerat; neque enim recte post ea, quæ Ruete die Korrespondenz Ciceros mit Brutus etc., p. 81 disputavit, ad Celerem tabellarium referri possunt verba § 1: «Hic tua, ut possum, tueor apud hos; cetera Celer»; quæ ut recte intelligantur, adhibenda sunt Ciceronis verba ep. ad Att. XI 6, 2: «Tanta erat in illis (scil. Pompeianorum armis) crudelitas...., ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata, ut iam omnium iudicio constitutum esset omnium vestrum bona prædam esse illius victoriæ, «vestrum» plane dico; numquam enim de te ipso nisi crudelissime cogitatum est». His enim contra Attici fortunas consiliis sese obvenire Cicero dicit ad Att. XI 4, 1; ceteris Attici rebus adversus Cæsarianos tutorem fore Q. Pilium Celerem, Attici familiarem, de quo *v.* Ruetium l. l. Nimirum Attico neutras partes sequenti ab utrisque cavendum erat.*

Sequitur ut quæramus, quando epistula data sit; in qua re commode fit, ut habeamus epistulam ad fam. XIV 6, certa temporis nota subscriptam, quam ad suos Id. Quint. misit Cicero. Nam si duas epistulas comparamus, mira rerum similitudo apparebit, quippe in quarum utraque ex proximis

* Ad Ruetii locum benigne Nissen me revocavit cuius omnino de ep. ad Att. XI 4 sententiam secutus sum.

litteris sese cognovisse prædia non venisse Cicero scribat nec non scribendi materiam sibi deesse queratur. Qua similitudine tantum non certum fit, uno eodemque tempore utramque epistulam a Cicerone datam esse Isidoro. Proximas autem ante istas ad Atticum litteras per Pollicem Romam miserat cf. ad Att. XI 4, 2 extr. qui cum nimis iam diu Dyrrhachio afuerat Terentiam hortatur ad fam. XIV 6 ut commorantem quam primum extrudat.

Quodsi Id. Quint. data est ep. ad Att. XI 4, qua Cicero respondet Attico, de clade Dyrrhachina quærenti, necesse est tantum temporis spatium intercedat inter Id. Quint. pugnamque illam, quantum efficitur 5 circiter diebus, quibus rumor de clade Romam pervasisse putandus est et 8 minimum diebus, quibus Attici certiora sciscitantis litteræ Dyrrhachium perlatæ sunt, in qua re notandum est aliquatenus impeditum certe illo tempore fuisse epistularum commeatum.

Sequitur exeunte mense Junio pugnam Dyrrhachinam commissam esse quod idem tempus computatione rerum, quæ inter illam et pugnam Pharsalicam gestæ sunt, invenimus.

80 cf. CJL. I p. 306; 324; 328. Ephem. epigr. IV p. 1. *v.* Judeichium p. 51 sq.

VITA.

Natus sum Iacobus Iulius Ziehen Francofurti ad Moenum XI m. Februarii a. 1864 patre Eduardo matre Emilia e gente Tillmanns, quos ambo parentes carissimos acerbum mihi fatum nuper eripuit. Fidei addictus sum evangelicæ. Gymnasii Francofurtani sub auspiciis Tychonis Mommsen florentis per sex annos fui discipulus. Vere anni 1882 Tubingam, autumno eiusdem anni Lipsiam me contuli, ubi præclaro studiorum meorum fautore adiutore usus sum Overbeckio. Vere anni 1884 in universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam transmigravi, cuius per quinquies sex menses civis fui. Docuerunt me vv. cc. Geldner v. Gutschmid Herzog Rohde v. Schwabe Strauch Tubingenses, v. Bahder Brandes Brugmann Curtius Heinze Lipsius Overbeck Ribbeck Schreiber Lipsienses, Buecheler Dove Kekulé Luebbert Menzel Nissen Rein Ritter Schwartz Usener Bonnenses. Seminarii archæologici sodalibus ordinariis ut ascriberer Overbeckii erga me benevolentia factum est. Proseminarii philologici Lipsiensis per ter sex menses, Bonnensis per sex fui sodalis; deinde seminarii philologici inter sodales ordinarios receptus sum egregia Buecheleri Luebberti Useneri benevolentia. Seminarii historici exercitationibus per quater sex menses ut interessem benigne permisit Nissen, per ter sex menses Dove, per sex menses Ritter. Exercitationibus archæologicis ut interessem comiter concesserunt per ter sex menses Kekulé, per idem temporis spatium Schreiber, epigraphicis Buecheler. Quibus omnibus viris gratias habeo magnas, maximas Buechelero Kekuléo Nissenо Usenero, præceptoribus carissimis grata mihi memoria semper colendis.

SENTENTIÆ CONTROVERSÆ.

I. Babrii fab. 59 v. 12 scribendum est *ὡς αν βλέποιτο τῷ πέλας τι βουλεύοι.* Cd. *βλέποιτο τὸν.*

II. Locus Polyaeni VIII 23, 13 ad eas res gestas referendus est, quarum enarratio intercidit apud Cæsarem bell. civ. III 50 extr., Appian. bell. civ. II 60. cf. Dion Cass. XLI 50.

III. Lucanus Pharsal. V 111 sqq. ad res ipsius tempore gestas spectat; cf. Dionis Cassi epit. LXIII 14, 2 et locos apud Hertzbergium, Gesch. Griechenl. unter d. Röm. I p. 110 adn. 27; p. 261 adn. 12.

IV. Ciceron. ep. ad fam. XVI 21, 7 scribendum est: suaves deponendæ tibi sunt urbanitates. Cdd. «habes».

V. Dionem Cassium in Catilinæ coniuratione enarranda Livio fonte usum esse libri XXXVII cc. 37 sq. comprobatur.

VI. Figura quam exhibet nummus argenteus incertæ originis Lucaniæ aut Bruttii alicuius oppidi (cf. Catal. of greek coins in the brit. Mus. Italy p. 395), Bacchi esse nequit.

VII. Pausan. VIII 37, 4 quod Dianæ duos serpentes manu tenentis simulacrum describitur, non librarii vitio hoc factum est, sed is' qui simulacrum illud vidit, arcum deæ non recte interpretatus est.

VIII. Florus IV 2, 38 scripsit: «Contractis in unum denique omnibus copiis etc.» Cdd. «undique».

IX. Apud Senecam Suasor. VI 2, «in pectus» scribendum esse docet auctorum Livianorum consensus, Orosii VI 16, 4; Valer. Max. III 2, 13; Flor. IV 2, 68.

X. Artifex, qui sculpsit statuam Sophoclis Lateranensem, quod commutatis inter se bracchiorum muneribus a tradito schemate recessit, id agebat, ut elegantius vestimenti plicaturas exprimeret.

XI. Luciani Tragodopod. v. 286 fortasse scribendum est:

(*σὺ δὲ μηρῶν ἄπο*)

Ἐς γόνατα λεῖβε πικρὸν ἰχώρων βάφος. Cdd. *βάθος*.